



De Præparationibus

# P. THEOPHRASTI PARACELSI, AB HOHENHAIM

Germani, Philosophi ac Medici, omnium iudicio absolutissimi:

Libri duo.

Cura et industria, summaq; fide et integritate, qua fieri potuit, ab Adamo Schrötero, Silesio, Philosopho et Poëta Laureato, etcet. in lucem editi.




*Cum priuilegio Cæsareo ad Septennium.*



¶ CRACOVIÆ.
Ex officina Typographica Mathiæ Wirzbiætæ, Anno Domini
1569.

CLARISSIMO PIETATE ATQVE eruditione viro, Domino PETRO GVT, TETERO, Iurisconsulto excellentissimo: Cracouiensi Senatori dignissimo. ACHA, TIVS GVTTETER.

S.

*HÆc præcepta parens, frater Charißimè, nobis*
*Vltima commisit, cum moriturus erat:*
*Vt pietate DEVM summa veneremur, egenis*
*Et facili promptam mente feramus opem,*
*Semper & authores vt veri simus & æqui,*
*Iudicio tenebras discutiente graues:*
*Nam Deus est verax, veriq; tuetur amantes*
*Hos amat, hos multa fertilitate beat.*
*Quo, quæso, video melioris acumine mentis*
*Nube procul pulsa, lumen adesse nouum?*
*Paulatim video tenebras discedere noctis,*
*Gratius insolitæ lucis & esse decus.*
*Qui liber hic præsto est, nouus est, noua pharmaca tra- (ctat*
*Gratus erit miseris, hic Ioue teste liber.*
*Nemo nisi ignorans verum contemnit & odit:*
*Sunt qui iudicio hæc candidiore legent.*
*Sunt tibi qui grato persoluent pectore grates*
*Hunc habeant quod te rite iuuante librum.*
*Publica priuatis dum præfers commoda rebus*
*Præsentes habeas in tua vota Deos.*

# AD EXCELLEN-
## TISSIMVM DOCTRINA ET PI-
*etate virum, D. PETRVM GVTTETErum, Legum Doctorem eximium, Inclitæ vrbis Cracouiæ Senatorem amplißimum, &c. In Librum Theophrasti Paracelsi, de Præparationibus, omnibus cum Medicis, tum infirmis vtilißimum: Adami Schröteri Sylesij, Philosophi & Poëtæ Laureati, &c.*

*Præfatio.*



VEMADMODVM Hippocratis ætate plures medicorum sectas atq; familias fuisse, ex ipsius Hippocratis scriptis constat, Amplissime Guttetere: quæ sententijs discrepantes, mutuò primatum obtinere in medicina contendebant: Ita nostris quoq; temporibus, postquam Hippocratis authoritate illarum contentiones sectarum finitæ sunt: resq; eò deuenit, vt vnus Hippocrates caput medicinæ ab omnibus, nec immeritò, censeretur: Diuinæ id faciente erga homines miserationis dispositione, Medicorum vnitas, in duas sectas abijt, diuisaq; est. Harum vna, quòd Hippocrati, vel Galeno, vel Auicennæ, alijsúe priscis scriptoribus adhæreat: nobis ob reuerentiam nominis, Hippocratica, vel saltem discriminis gratia, dica-

*Medicina in plures sectas veteribus diuisa.*

*Contentio de Monarchia, authoritate Hippocratis finita: Diuinitus nostro tempore repullulauit.*

*Duæ sectæ Medicorum.*

*Hippocratica.*

*Theophrastica.* tia, dicatur: Altera ab eo, qui non odio motus, sed languentium commiseratione ductus, Deo ipso authore ad altiorem medicinæ gradum peruenit: Theophrastica nominetur. Huic quidem illa, illi autem

*Status. Iurene Theophrastus odio habetur. Et: An Hippocratici, plane explodendi.*

hæc quia contentione quadam inuisa est, odiosaq; redditur: nos amore veri, & charitate proximi, commoti: quid de vtraq;, cuiq; bono, cordatoq; viro sentiendum sit: hac præfatione modestè pariter, ac bono iudicio, perquirere statuimus: Vt deposito parte ab vtraq; odio: bonum illud, quod ad humani generis conseruationem, vtriq; Deus donauit: ad eiusdem cōmodum, atq; integritatem, vnanimi studio ab vtraq; in medium conferatur.

*Vtriusq; donum diuinitus est.*

Nam perinde vt negari non potest, Hippocrati donum medicinæ diuinitus datum fuisse: Theophrasto itidem diuinitus suum: ita omnino neq; id quisquam negauerit, Deum cuiq; distribuere dona secundum mensuram pro suo arbitrio liberrimo: neq; hoc affirmauerit, nō perfectiora illis donare, qui ampliorem sui cognitionem per gratiā in Christo Iesu consecuti sunt: quā his, qui absq; gratia, in gentili Deorum multitudine, ipsum ignorauerunt: maximè cum scriptura dicat, omni habenti dari, ab eo autem qui non habet, etiā id, quod habet, auferri.

*Deus sua dona secundum mensuram ad placitum tribuit: Perfectiora dans Dei cognitionem habentibus: quàm Deum ignorātibus.*

* Quod cùm ita sit, non immeritò forsan obijciet quispiam: Theophrastum insolentius agere: quòd Hyppocraticos omni plane autho-

** Nihil habet qui extra Deū aliquid habet: Extra Deū ha-*

nè authoritate exutos velit, atq; durius insectetur: cùm debuerat in ipsis quoq; donum Dei, quantulũcunq; id fuerit, agnoscere potius: quàm tanta verborum asperitate eos perstringere: eorum ignorantiam taxare: et penitus scripta eorum respuere: sibi autem ipsi monarchiam in medica facultate vendicare. Verùm si quis primum quidem quo studio ad scribendum impulsus sit Theophrastus, considerat: deinde verò quos insectetur, et quatenus, attendat: Postremò, qd et quomodo doceat, scribatué, intelligat: ipse protinus obiectioni huic respondebit. Reputet itaq; Theophrastum hunc illis temporibus floruisse: cùm: post multas bellorum et seditionum clades, et rerum publicarum perturbationes: quibus vniuersa propemodum literatura, artesq; omnes ad interitum vsq; concidissent, nisi impolita Barbarorum philosophorum obscuritas, quodammodo eis auxilio fuisset: Deus ingenia hominum velut è mortuis resurgentium, ad recuperandum, artium et totius literaturæ splendorem, excitauit. Quod igitur fuit Marsilius Ficinus, in reuocanda Hermetis Trismegisti, Aegyptiaca, Platonicaq; Philosophia: Quod Ioannes Reuchlinus Capnion in renouandis græcis hæbraicisq; studijs, adiuncta Theologia, mysterijsq; secretorum diuinorum: Quod Angelus Politianus: Quod Baptista Mantuauus: Ille

*habet, quicunq; Deum non cognoscit, non solùm sua, sed etiã diuinit⁹ data.*

** Prima ratio, cur Theophrastus meritò odio haberi videatur.*

*Primæ rationis refutatio.*
*1. à Studio.*
*2. à Personis.*
*3. à Diuisione.*
*4. à Sententia scripti & doctrinæ.*

*Explicatur studiũ sumpto argumento à tempore.*

θέσις.

*Deus excitat ingenia hominum, ad restauratiõe artiũ.*

*Ab exemplo per collationem.*

ὑποθεσὶς.

*Authores nostri tẽporis, diuinitus excitati, ad restaurationem artium.*

 in Ari-

in Ariſtotelica philoſophia: hic in Virgiliana poë-
ſi, et Eraſmus in iucunda Latini ſermonis eloquen-

*Concluſio, à θέσει, per hypotheſin.*

tia: Idem, ne plures enumerem ſuæ quenq; profeſſi-
onis cultores, et veluti nouos quoſdam Authores:
Idem inquam, vt parua magnis, vel æqualia æqua-
libus conferamus: hunc quoq; Theophraſtum in re-

*Theophraſtus, diuinitus excitatus eſt, ad reſtaurationem medicinæ.*

nouanda medicina fuiſſe non iniuria dicere poſſu-
mus, et debemus. Illi enim omnes quos recenſui, ver-
ſores potius, et commentatores veluti veterum Au-

*Imminutio.*

thorum, qui barbarorum tumultibus in obliuiõem,
ignorantiamq; hominum venerant, quàm renoua-

*Collatio.*

tores fuerunt: illiſq; Cornarius, Hippocratis Græ-
ci, noſtro tempore tranſlator, rectius conferri po-

*ἀύξησις.*

teſt, quàm hic noſter Theophraſtus, quem ad alti-
ora medicinæ ſecreta, priſcis præter Hermetẽ Triſ-
megiſtum ignota, magno ſtudio indaganda, Deus

*Amplificatio à ſtatu temporis, & inſcitia doctorũ. Bonorumq; Authorũ penuria.*

ipſe exuſcitauit. Nondum ſua ætate Hippocrates,
nondum Galenus totus, nondum Aëtius, cæteriq;
Græci, medicinæ authores, latinè loquebãtur: Pro-
ſtabat Auicenna tanquam in Lupanari imperitorũ

*à deprauatione authorum, ob ignorantiam.*

medicorum: quo cũ, quiſq; eorum pro ſuæ ignoran-
tiæ, et inſcitiæ libidine, abutebatur. Idemq; cum a-
lijs agebatur authoribus omnibus, quorum malè in-

*à periculo infirmorum, ex ignorantia medicorum, et chirurgorum.*

tellectas ſententias, dum diſputationum tricis huc
atq; illuc apud ægros, diducunt et diſtrahunt medi-
ci, interea ægri miſerè emoriuntur. Quod autem de
Phyſicis

Physicis Doctoribus, idem et de Chirurgiæ magistris ipsius tempore, conqueri licebat: Et certè nescio, an non nostro quoq; tempore idem liceat. Quidni: cùm etiam Hippocrates ipse idem conqueratur? Idem Iacobus Syluius, optimus author, cæteriq; plures etiamnum lamententur et deplorent? Miserabilis est sanè in medicina facienda error: eoq; miserabilior, quòd ad tot diuersas grauissimorum morborum speties: quarum vel vnica ad delendum è viuis hominem, sufficeret: hæc quoq; insuper ceu fœdissima crudelissimæ carnificinæ tortura, et remanere volentis vitæ, expulsio violenta accedat. Quod ne deinceps fieret, pietate in omnes, etiã posteros: commiseratione autem in ægros motus: cùm plurima, in vniuersa medicina diligentius excussa, desiderari cognouisset, animum ad indagandam medicinæ certitudinem appulit. Deus autem conditor naturæ, et misericors humani generis pater et amator: qui pietatis inspector est, et proximi charitate colitur: qui linum fumigans non extinguit, neq; stipulam aridam cõminuit: sed clamantes exaudit: pulsantibus aperit: petentibus dat: et quærentibus vltrò offert: suprà captum humani ingenij, cærtitudinem quærenti, naturæ mysteria, medicinæq; Arcana, ad communem humani generis vtilitatẽ, in qua charitatem cuiq; erga proximum exercere liceat, et ad glori-

*παθος.*

*γνωμη.*

*Exaggeratio.*

*Ignorantia medicorum et chirurgorũ, est Pestis & carnificina infirmorum.*

*Theophrasti studium, ab ægrorum cõmiseratione. à Defectu medicinæ.*

*Scopus Theophrasti, est Indagare verum, & certum.*

*Deus solus, Certitudinem quæsitam, Theophrasto reuelauit.*

ad gloriam nominis ſui, aperuit, atq; manifeſtauit.

*Studiũ Theophraſti, à ſcripto.*

Hoc ſtudio atq; animo, et quæſiuiſſe, et datam diuinitus medicinæ certitudinẽ ſe literis mãdaſſe: (quãuis bona ingenia, quibus innatum eſt, omnia in meliorem partem accipere, ipſa per ſe intelligerent:)

*1. Locus Theophraſti*

ipſe Theophraſtus in proœmio Magnæ Chirurgiæ
» teſtatur in hæc propemodum verba. Tria omnino
» ſunt, optime Volphgange, quæ me ad ſcribendam
» Chirurgiam impellunt: quorum primum eſt, quòd
» libri veterum, quos quidem nobis videre hactenus
» contigit, adeò imperfecti ſunt, vt vnicum, quò ad
» naturæ vim attinet, certum præſidium in eis non in-
» ueniatur: Alterum eſt, miſerabilis tot infirmorum
» deſtructio et corruptela, ex inſcitia, et ineptitudine
» chirurgorum proueniẽs: Tertium eſt, praua et diſ-
» ficilima ſymptomata, in vulneratis ex mala curatio-
» ne, contingentia: quæ nobis quotidiana experientia
» multipliciter cognoſcenda et ſananda obtulit.

*Amplificatio per Interrogationem, ab humanitate, à beneuolentia in omnes, à liberali bonorum communicatione.*

An non pium hunc animum cenſes, qui proximi malum miſertus, quem diuinitus accepit ſcientiæ Theſaurum, non inuidus abſcondit: ſed prodeſſe cupiens omnibus, vt omnibus impertiretur, literis mandauit: et quidem patria lingua: vt non modò ad doctiores, verùm etiam ad imperitiores idiotas, volentes tamen diſcere et doceri, tantæ doctrinæ communio et participatio perueniret? An tu hunc omni odio et

inuidia

inuidia premendum, et non potius mille modis amandum censes: qui aliquando in eadem inscitiæ, imperfectæq́ medicinæ naue tecum considens, pluribus naufragijs factis, iamq́ desperans de portu et salute, tandem Diuina miseratione enatauit: et ad se rediens, omnibus terris medicinæ certitudinem, in Italia, Gallia, Germania, apud Hispanos, Granatos, Lusitanos, Anglos, per Prussiam, Lithuaniã, Poloniam, Vngariam, Valachiam, Croatiam, et vltra Transyluanos ad extremos vsq́ Getas, Indosq́ quæsiuit: non inuentam verò, sed cœlitus tandem demissam, acceptamq́, tibi omni fidelitate communicauit, tibi perscripsit, tibi vtendam dedit? Quid quæso differs amare eum, qui, ne tu perires naufragio: ne tu extingueretis frustra susceptæ peregrinationis periculis: ipse naufragium pertulit, ipse pericula subijt, superauit: teq́ vt tutior esses, omnibus quæsitis bonis cumulauit, et muniuit? Nihil habet veritatis, naturæq́ studiosus quod reprehẽdat in Theophrasto, si rem secum rectè perpendere velit. Nam non ita sua profert, vt aliorum omnia penitus damnet: relinquit cuiq́ suo in loco quicquid veri certiq́ habet: errores autem carpit, abusum vituperat, ignorantiam damnat, ignauiam in discendo et inquirendo persequitur, humanorum casuum languorumq́ miseretur, infirmis tabescentibus compatitur, condolet,

*à Susceptis in inquirenda medicinæ certitudine periculis, et laborib.*

*Peregrinationes Theophrasti in quærẽda medicina.*

*Exaggerratio per commiserationẽ, à Liberali beneficio.*

*Conclusio responsionis, à Studio.*

*Refutatio primæ rationis. à Diuisione.*

*Quatenus & quid reprehendat Theophrastus.*

dolet, commoritur. Quid in hoc tali homine ha-
bes reprehensione dignum? Sed audi quæso quid di-
*II.* „ cat: Itaq; cùm certò constet, Chirurgiam (intellige
*Locus Theophrasti.* „ tu totam etiam medicinam) æque certam esse artem,
„ aut scientiam, quàm est Architectura: vt vos ad e-
„ ius amorem incitarem, hoc opus, quamuis simplici-
*Stylus Theophrasti cur sit simplicior.* „ ori stylo, conscripsi vobis. Neq; .n. curat Medicina
„ phaleratam elocutionem. Monitos autem vos ve-
„ lim, ne mihi hāc scriptionem in malam vertatis par-
*Theophrastus suum cuiq; tribuit.* „ tem. Noui equidem vestrum pleros; in diuersis re-
„ gionibus, non omnino ignaros artis: imo quosdam
„ etiam secretorum peritos: et hunc quidem, vnū ar-
„ canum habere: alium, dimidium arcani, alium, vnum
„ cum dimidio, alium etiam duo cognouisse, quemq;
„ iuxta mensuram, plura vel pauciora. Quod quisq;
„ nouit, id suum cuiq; esto. Meum propositum est eos
*Quos reprehendat, quos non.* „ docere, non qui Docti, Veri, et Experientia confir
„ mati sunt: (his .n. non opus est doctrina mea: nec de
„ his quicq; horum intelligi volo:) sed qui his ex ad-
„ uerso opponuntur. Cuperem autem vt mea scripta
semper in meliorem partem acciperentur. Quid hic
quæso dicitur, quod boni viri æstimationem offen-
*Secunda ratio, cur Theophrastus meritò odio haberi videatur.* dat? Sed hoc pleros; aduersus Theophrastum cō-
mouit, quòd acrius in Indoctos, Sophistas, Circū-
foraneos, et omni experientia destitutos, inuehatur.
*Refutatio secundæ rationis.* Quod tamen, si quis diligenter attendat, ferendum
omnino

omnino esse, intelliget: nam immedicabile vulnus, vt Poëtæ verbis vtar, ense recidendum est, ne pars syncera trahat. Inuectus est Hippocrates ante Theophrastum in tales medicos. Inuecti sunt multi post Hippocratem alij. Vt autem Hermetem maximi facit, ita modestius de Hippocrate, quàm de alijs loquitur. Minus sentit de Galeno, minus etiam de Auicenna. Quid verò mirum? cùm etiam Hippocraticorum plerique grauissimos Auicennæ errores sæpius deprehenderint, adeò vt Leonhardus Fuchsius, nõ postremus nostræ ætatis Hippocraticus medicus sæpius exclamet, in Arabum doctrina vniuersa nihil certi ac solidi haberi, confusa esse omnia, omnia esse incerta, eorumque scripta sæpenumero medicis errandi occasionem præbere? Quicquid igitur apud Hippocratem, eiusque sequaces, ex lumine naturæ, Deique dono, verum synceruḿque est, id omne adeò non perstringit Theophrastus, vt non pauca apud hunc, vel tanquam ab illis desumpta, vel tanquam explanata clarius, inueniãtur: quod ipsum argumẽto est, quanta sit, in lumine naturæ et rationis, veri cum vero consonantia. Verùm si quæ sine experientia minus firmis consequentiæ nexibus per eos dedu cta sunt, et pro certis habita: ea conuellit, et confutat: primatumque, non odio ipsorum, aut minuendi ipsos studio, eis non concedit, sed glorificandi Dei datoris

*à Magnitudine periculi.*
*ab Exemplo.*
*Theophrasti quosque quomodo habeat.*

*Theophrastus Verũ non carpit, imo cum eo consonat.*

*Verum vero consonat. Falsum, et à vero, & à falso dissonat.*

*Cur primatum sibi vendicet Theophr.*

datoris sciētiæ amore. Iustum siquidem est, nō modo dona Dei, secundum mensuram cuiq; concessa agnoscere: sed etiā agnita ita prædicare: ne: dum antiquitatis ratione habita, veteres, quibus dona tributa diuinitus minora scimus: Iunioribus præferre studemus, in quos exuberantior Diuini Spiritus gratia diffusa est: impietatis in Deum, mendaciiq; redarguamur: vtpote qui contra agnitam veritatem, dona Dei maiora, minoribus non modo postponamus: verùm etiam si quæ minoribus donis humanitus deprauatio accesit, ijs maiora perfectioraq; subijcientes, ea coinquinemus. Quapropter quòd veteres durius reprehendat, quòd primatum seu Monarchiam medicinæ sibi vendicet, his consideratis Theophrastus accusari iurè non potest, multò minus odio dignus esse. Quanq; non paucis stomachū bilemq; mouet, quòd nonnulli, arrogantes, et mendaces, qui se Theophrasticos profitentur, cùm re ipsa nihil minus sint, quàm Theophrastici: tanta pmittunt, tanta iactitant, quanta per ipsos fieri posse nec Theophrastus velit, nec natura admittat: sed nec Deus patiatur. Hi igitur cùm suo ipsorum mendacio sese illaqueent, non potentes efficere experientia facti, quæ linguæ fallacis mendaci iactantia polliceantur: dum stultè, bonū nomen authoris extollere volunt, turpiter lapsi, existimationem ipsius minuunt. Quo sa-

*γνωμ.*

*Deus se cognoscentibus maiora, et perfectiora dat dona, quàm non cognoscētibus:*

*Impietas est, vetustatis amore, maiora & perfectiora Dei dona: minoribus et per hominem Ignarum Dei, corruptis, postponere.*

*Conclusio refutationis, Secundæ rationis.*

*Tertia ratio, meriti, vt videtur, odij.*

*Arrogans iactantia quorundā Theophrasticorum.*

*Reiectio criminis.*

Quò sanè fit, vt maleuolorum detractrici loquacita ti, et maledicentiæ contra Theophrastum, quanquam immeritò, ansa præbeatur. Oportet siquidem sua quemque errata ferre, eorumque ignominiam in seipsum suscipere, non in alium innoxium deriuare: quod cũ factum fuerit, hac quoque in parte noster author immunis erit ab omni odio et inuidia: maximè cùm prædixerit futuros eiusmodi sycophantas qui medicinæ suæ titulo ad deceptiones et illusiones hominum vtentur, non quidem authoris vitio, sed suæ ipsorũ naturæ illiberali maleficio. Restat itaque vltimum, quod animos multorum à Theophrasto abalienat, in quo si ostenderimus authorem hunc nihil peccare, nõ dubito quin plerique Doctorum, qui ad hoc veri conuiuium inuitati simul, et electi sunt, huic adhereant, epulentur, et calicem veritatis syncerũ cũ eo bibant. Hoc autem est, vitium obscuritatis, quod illi obijcitur, partim ob nouitatem verborum quorundam: partim ob præparationis medicinarum ignorantiam. Verborum nouitatem excusat cùm Horatius, quod liceat nouis rebus, noua et inaudita ante vocabula imponere: tũ verò ipse author, qui si quid nouum vno in volumine posuit, illud in alio, quid sit, descripsit. Præparationis autem ignorantia, quãuis non tàm Theophrasto, quàm ignaris rerum, philosophiæque imputanda sit: tamen vt hac quoque in causa nihil

γνώμη.

*Quarta ratio odij. Obscuritas.*

*Refutatio quartæ rationis, ab authoritate.*

*à modo scribendi.*

*Refutatio per reiectionem criminis.*

*Theophrast. subinde docet medicinarum præparatiões.*

sa nihil iustè accusari posit: partim alijs pasim in voluminibus varias præparare medicinas docuit, partim in eo opere quod De Præparationibus inscripsit, breuiter et succinctè, vt ferè in omnibus solet, annotauit. Principales autem et arcanas præparationes, in Archidoxam rettulit, quam, breui, auxilio Diuino in lucem emittere decreui. Magnum reuera, et dolendum omnibus impedimẽtum erat, quòd inter centum Doctores, ob ignorantiam præparationis, vix vnus Theophrasticam medicinam hactenus legerit, nedum tractauerit. Huius autem ignorantiæ initium non tàm ab ipsis Doctoribus fluxit, quàm ab his, qui cùm abusus artium emendare debuissent, nec ob ignorantiam potuissent, maluerunt artes, alioqui sanctisimas, et homine libero dignisimas, omnibus ab Vniuersitatibus prohibere et explodere, quàm tot earum per Sophistas et circulatores introductos abusus tolerare. Harum artium vna quidem, vt de alijs hoc loco taceã, est Alchimia, quam impostores nequam, et eorum causa nonnulli, rerum Domini principes, adeò inuisam aliquot ante hæc tempora annis habebant, habentq́; nonnulli etiam hodie, vt neminem probum existiment, qui eius exercitijs naturæ secreta rimatur, sed ludibrio exceptum digito demõstrent, et adunco naso, veluti auri, argentiué fictorem, suspendant. Qua barbarie quid per

*Ignorantia præparationum, ex amissione alchimiæ prouenit.*

*De Alchimia.*

*Cur inuisa.*

quid per hominum fidem, potest esse immanius?
Vt igitur omnibus Medicinæ amatoribus constet quid sit Alchimia, quisq́ eius verus ac legitimus vsus, tùm vt quæ hoc libello De Præparationibus dicuntur, rectius intelligi valeant: pauca de ea dicamus oportet.

*Alchimia quid sit.*

Est ergo Alchimia, non vt permulti idiotæ garriunt, transmutãdi metalla imperfecta, in aurum vel argentum, scientia, ( quamuis et hæc per artem et naturam Deo concedente cui vult, possibilis, certaq́ eius pars est ) Verùm certa ars et scientia, qua per ignem totius naturæ secreta vis elicitur, subtiliatur, perficitur, et in efficacia virtutis multiplicatur. Hac purum ab impuro separatur, grossum à leui secernitur, et deniq́ quoduis externum à suo interno, ad manifestandum occulta, et occultandum manifesta sequestratur. Vnde ab ignis quidem fusione Alchimia, à sequestrãdi verò et separandi officio Spagyrica dicitur, quæ sola creationis Diuinæ æmulatrix est scientia. Nihil enim creatum legimus, nisi per diuisionem ex confuso chao. Diuisit Deus, inquit scriptura, lucem à tenebris, Diuisit aquas sub firmamẽto, ab his quæ super firmamentum, Diuisit aquas ab arida: Diuisione eductæ sunt herbæ, ligna, animalia à terra: itidem Diuisionis medio formatus homo, Sic stellæ, sic pisces, sic volatilia. Atq́ hinc est, quod Alchi-

*Alchimiæ vis, & officium.*

*Nominis ratio.*

*Alchimia creationis æmula.*

*Alchimia duplex.* quòd Alchimiæ vtriusq; vsus latissimè patet. Duplex .n. Alchimia est, quemadmodum etiam duplex ignis. Interior et naturalis: Exterior item et artificialis: hæc illam imitatur operando: illa in creatione ab ipso creatore Deo, legem, operandi virtutem sibi inditam, accepit. Hæc illam mouet et elicit: illa mouenti obediens, corpore elicita, virtutem inditam iuxta prædestinatiõem suam operatur, et potenter exercet. Atq; ex his clarius iam agnoscitur id, quod in Definitione posuimus. Omnis creatura nihil aliud quàm Alchimiam exercet in natura.

*Alchimiam omnis creatura exercet interne.*

Lapides calore mediante, è diuiso humido viscoso ab alijs aquæ partibus, nascuntur, et coagulantur. Mineræ omnes, itidem per separationem, et coagulationem ex aqua oriuntur. Herbæ et Plantæ, dum ex terra separant idoneum nutrimentum, illudq; in corpus ipsarum, folia, flores et semina fructusúe cõuertunt, quid quæso agunt præter Alchimiam. Animalia dum comestas herbas, naturali calore digerunt, digestas in nutrimentum et fœces diuidũt, nutrimentum itidem in ossa, carnem, sanguinem et lac, et similia conuertunt, Fœces verò in vrinam, stercora, pilos, vngues, cornuaq; excernunt, quid operantur nisi alchimiam? Per alchimiam Panis in homine, caro et sanguis hominis fit: in cane, caro et sanguis canis; in boue, bouis; in sue, suis etc. Ideq;

in alijs

In aliis omnibus licet intelligere. Ex quibus manifestum est, et quid sit interior alchimia, et quàm latè pateat: cuius cùm imitatrix sit exterior, quamuis meditanti per se iudicari posiit, quàm in omnia sese extendat: tamen pro nostri propositi ratione, vnũ hoc assumo, Sine Alchimia, nulla naturæ secreta posse elici: nullam latentem in potentia virtutem, verè in actum produci: nullam Medicinam debitò modo præparari. Hic est verus Alchimiæ vsus, naturæ mysteria per eam indagare: occultas rerum virtutes explorare: creditam Dei omnipotentiam oculis cernere, manibus tangere. O quàm iucunda est, quàm auget fidem et amorem in Deum, et charitatem in proximũ, hoc modo sobriè et diligenter tractata Alchimia. Non Tantalo, non Euclioni, non superbo, nec molli, nec Cynædo conuenit talis Alchimia: Sed contemptori diuitiarum philosopho, humili, liberali, laborioso, honesto, Dei amatori, proximi adiutori, naturæq́ inuestigatori. O quã præclara, quàm sancta, quàm Diuina est ignis sciẽtia. Deus ipse Ignis consumens est: Ignis inaccessibilis est: Hic Ignis mũdi rerum creator et separator est. Ignis cuncta fouet creata: ignis lucem, calorem, maturitatem omnium perficit: Ignis producit fructus, animalia, metalla: ignis mutat et transmutat omnia; Ignis separat et probat, et præparat omnia:

*Alchimiæ exterioris siue artificialis, verus vsus.*

*Alchimia quos respuat, quosue recipiat.*

*Ignis scientia est Diuina.*

 Ignis

Ignis iudicat aurum, et metalla, et sæculum: Ignis purgat omnia: Ignis absumit superflua: Ignis immortalitatem affert. In igne vita æterna, lux, splendor, et beatitudo summa: In Igne mors æterna, tenebræ, stridor dentium, et damnatio æterna. In igne exultauit Henoch, Helias, Moyses. In igne cruciatus est Diues Lazari neglector. Sed quorsum me rapit cogitatio, dum admiror quid ipse ignis, quidúe Alchimia poßit per ignem. Vtinam vtinam et vos amici Doctores aliquando hæc vel modico labore attingeretis, certò scio quàm ardenti studio ad amorem et studium Alchimiæ incumberetis. Tum demum vobis charus esset Theophrastus, Tum demum agnosceretis, quid valeat rectè præparata medicina. Tum demum verè in amorem Dei, Naturæ, et proximorum raperemini. Sed ne quærentes fortasse et expectantes aliquos rationem præparationum, amplius differam, ad Libelli ipsius declarationem accedam, modosq; præparationum, quos author nomine tantum significat, tanq̃ artis chimiæ peritis cognitos, propter eius artis imperitos quidem, discendi tamen cupidos, quantò breuius et rectius potero, explicabo. Tanta siquidem est præparationis virtus, ( vti pulcherrimè à Iacobo Syluio doctißimo Hippocraticæ Scholæ Medico dictum est ) et tàm latè per omnes rerum species eius

*De præparationibus.*

*Virtus præparationis.*

ratio

ratio ſpargitur, vt nihil à natura gignatur, augeatur, aut alio quouis modo moueatur citra præparationem: nihil artes tàm mechanicæ, quàm aliæ omnes tẽtant, non adhibita prius præparatiõe aliqua, per quam ars ſæpe naturam vincere videtur. Præparatio enim eſt rei cuiuſq; ad conſequendum finẽ ꝓpoſitum adaptatio, quæ fit ſuperfluorum ablatiõe, defectus ſupplemento, et perfectionis debitæ adminiſtratione: quod elegãter idem Syluius dixit, Medicamentorum præparationem eſſe, ipſa per artem vſui vel compoſitioni cõmodiora reddere, hoc eſt, vel mitiora, vel valentiora, vel gratiora, vel ſalubriora, vel magis miſcibilia, et, vt paucis dicam, meliora vel ad vtendum, vel ad componendum. Abſoluit autem Theophraſtus vniuerſam huius libelli ꝑparationem, ſeptemdecim modis, quorum nomina ſunt hæc, Trituratio, Ablutio, Imbibitio vel nutritio, Humectatio aut Incorporatio, Putrefactio, Digeſtio, Diſſolutio, Diſtillatio, Coagulatio, Exiccatio, Alkalizatio, Fuſio, Additio, ſeu Mixtura, Stratificatio, Reuerberatio, Calcinatio, et Sublimatio. Quanquam Syluius plures: Chimiſtæ verò pauciores modos enumerent: ille quidem omnes vel maximè communes complexus: hi autem artificioſos duntaxat, ipſiſq; ſolis proprios: Nos quorum nomina poſuimus, eos breuiter declarabimus. Trituratio igi

*Præparatio quid ſit.*

*Modi præparationum XVII.*

*Trituratio vel puluerisatio.* ratio igitur est, cuiusuis rei siccæ, vel terẽdo in mortario, vel molendo super lapide, vel fricando, limãdoue, in puluerem facta redactio: officinis pharmacopæorum Puluerisatio dicta. *Ablutio.* Ablutio, est per aquam facta à sordibus rei emundatio. Abluuntur autem potissimum materiæ terrestres, vel minerales, vel metallicæ, postquam fuerint trituratæ et in puluerem redactæ. Aqua verò ablutionis, alias simplex communisq; est, alias rosacea, alias alia stillatitia, nõnunquã lac mulieris lactentis. Apud Chimicos autem etiam acetum distillatum, aqua aluminis, et his similes. *Imbibitio vel Nutritio.* Imbibitio est rei cuiusuis siccæ, et puluerisatæ, humido aliquo, putà aceto, vino, succis aut aquis herbarum, aut lacte, aut oleo, sæpius iterata, post successiuas exiccatiões humectatio. Metaphoricè sumptum est à bibentibus, qui absumpto haustu priore, alium imbibunt, illo quoq; absumpto mox aliũ atq; alium. Eadem autem est medicis Nutritio, quæ Chimicis Imbibitio, similisq; propemodum metaphoræ ratio. *Incorporatio, vel Humectatio.* Incorporatio vel Humectatio est, cùm rei siccæ tantum liquidi affunditur, vt liquidum sicco non supernatet, sed instar pulmenti liquidioris vel spissioris contemperentur inuicem. Quòd si siccum sua vi humidum incorporatum absumat, iterumq; siccum maneat, et iteratò incorporetur, imbibitio vocabitur, vt dictum est. Incorporationi similis ferè est,

rè eſt, quam medici vocant infuſionem: cum rei ſiccæ tantum liquidi ſuperfunditur, vt ſupra ſiccum emineat, et ſupernatet ſicco ad placitū, duos vel tres digitos, pluresúe. Quodſi res ſicca diutius in infuſione ſteterit, Maceratio vocabitur: Sicca autē hoc loco vocamus quæcunq; vel arte ſiccātur, vt herbæ, radices et ſimilia, vel natura ſicca ſunt, vt Terræ, Mineralia, Venæ, Metalla etc. Putrefactio Chimicis maximè nota, eſt cùm res vel humida, vt herbæ et ſtirpes omnes, etiam oleagineæ et pingues: vel ſicca, vel etiam imbibita, Incorporata, aut iufuſa, in idoneo inſtrumento ſiue vaſe, reponitur ad Macerandum in magnum Fimi equini cum ſtraminibus ſuis mixti aceruum, ad idonei temporis ſpacium, q̄ videlicet res ita putrificata, ſecundum placitum medici alteretur de qualitate in qualitatem, reddaturq; materia tractationi aptior, ad ſeparationes in ea perficiendas. Alij alio modo Fimum equinum renouant ſæpius, te experientia doceat quid facto opus ſit. Chimici fimum equinum, methonimicè appellant ventrem equinum, continentem pro contento vſurpantes, honoris gratia. Digeſtio, Similis ferè eſt Putrefactioni, in eo q aptiorem reddit materiam tractationi: differt autem in eo quòd illa vt diximus alterat: hæc maturat, quare et putrefacta omnia digeri poſſunt. Eſt ergo digeſtio rei cuiuſq;, caloris

*Infuſio.*

*Maceratio.*

*Putrefactio.*

*Venter equinus.*

*Digeſtio.*

 debiti

debiti operatione facta maturatio, et habilitas ad finem propositum, vel tractationis ad separandum, vel exhibitiōis ad medicandum. Hic caloris ignisq́ gradus obseruandi veniunt, quos nisi obseruaueris debito ac legitimo modo, nihil vnquam in omni alchimia aut Spagyrica perficies. Quatuor sunt caloris ignisq́ gradus, Primus Lentissimus, qui sensum tactus delectat: Secundus Fortis, quem tamen sensus tanto spatio temporis ferre potest, quantum xij integri tactus absumunt. Tertius Fortior, qui sensum subitò lædit. Quartus Fortissimus, qui sensum destruit. Primi gradus sunt Fimus equinus, Nidus Formicarum, Calor radiorum Solis, Calor gallinæ incubantis, Calor aquæ tepidæ, vel Balnei mariæ. Secundi gradus, Ignis Bullientis aquæ, ignis Cinerum: Tamen absq́ ignitione. Tertij gradus, Ignis carbonum, Ignis arenæ cum ignitione, vel sine ignitione. Quarti gradus, Ignis flammæ, Ignitiōis, Fusionis metallorum, et similes. Habet autem quilibet gradus plura puncta, quod vnico verbo significandum duxi. Digestioni itaq́ et Putrefactioni, primus ignium gradus seruit: quanq́ Digestio successu temporis aliquando etiam ad tertium gradum ascendit, in metallis aūt etiam ad quartum, Sed hæc fida magistra docebit Experientia. Dissolutio est rei cuiusuis ex liquido concretæ, iterum in liquidū,

*Gradus ignis obseruandi.*

*Ignis gradus 4.*

*Primus.*

*Secundus.*

*Tertius.*

*Quartus.*

*Puncta graduum ignis.*

*Dissolutio.*

per partium extenuationem, viscositatisq; compactæ per humectationem idoneam facta resolutio. Soluuntur autem partim gummata, partim succi cōcreti, quandoq; Terræ, quandoq; Alumina, Salia, Vitriola, quandoq; lapides preciosi, quandoq; metalla, quandoq; Calces, quandoq; mineralia, et qcquid est eorum, quæ ex aqua concreta sunt. Duplex autem est solutio, vel per se, vt in aëre sub diuo, in cellario, in fimo, in vapore aquæ: Vel affusione liquidi resoluentis, vt aquæ, Vini, Aceti, et similium. Distillatio est extractio vel detractio humiditatis à re quacunq;, facta tenuiorum partium à grossioribus separatione, ac in vas subiectum guttatim receptione. Quatuor sunt autem Distillationum species, Vna per ascensum cum alembico: altera ad latus, vel cum alembico, vel absq; eo. Tertia per descensum absq; alembico: Quarta per linguam siue filtrum. Hæc apud Chimicos Gebro potissimum authore, copiosius traduntur. Coagulatio est, quando res quæpiam à continuitate partium concretarū, vt dictum est, resoluta, calore primi gradus iterum concrescit, non tàm humidi absumptione, quā eiusdem inspissatione. Atq; sic coagulantur Salia, Gummata, resinæ, Vitriola, metalla, et his similia. Exiccatio est rei imbibitæ, vel ablutæ, vel incorporatæ, vel infusæ, vel maceratæ: per detractionem humiditatis, vel

*Distillatio.*

*Coagulatio.*

*Exiccatio.*

tatis, vel euaporationem eiusdem, et non per inspis- sationem, facta siccitas. Fit autem exiccatio vt plu- rimum igne secundi gradus.

*Alkalizatio.* Alkalizatio est extra- ctio Salis ex re qualibet, cuius processus et ordo hic est, vt res quælibet primum vertatur in cinerem, vel calcem: deinde cinis vel calx maceretur in infusione aquæ communis purissimæ vel distillatæ, diei vnius spacio: post detrahatur per linguam purissimè: in- de apud ignem primi, vel secundi gradus euapore- tur: quod manet in fundo siccum, iterum ponatur in solutionem aquæ communis, solutũ tandiu ad ignẽ conuenientẽ euaporet, donec tres partes totius ab- sumantur, reliquum locatum in frigidum, ponet suo tempore lapillos salsos, propemodum aluminis in- star diaphanos, qui sunt sal alkali eius rei, cuius erãt cineres.

*Fusio.* Fusio est liquefactio mineralium, vel Me- tallorum, per ignem tertij vel quarti gradus. Fun- duntur enim Salia, Alumina, Vitriola. Funduntur item Plumbum, Stannum etc. in tigillo triangulari, igne debito, cum vel sine follibus administrato.

*Additio.* Additio seu mixtura, compositio ipsa est quarum- libet rerum, ratione virtutis, sibi mutuo conuenien- tium, certa proportione in vnum compositum me- dicamentum receptarum, vel ad præparationem re- quisitarum.

*Stratificatio.* Stratificatio, est duarum pluriumúe di- stinctarum rerum, distinctis ordinibus, vel stratis, alterna-

alternatim vicissimq́ facta, in idoneo instrumento positio, seu collocatio. Vt cum in tigillum primò Salis Stratum, inde Tartari, post Cupri: iterũ Tartari, rursus Salis, distinctis stratorum ordinibus inuicem superponuntur. Hoc ita dispositum, Chimicis Stratum super stratũ dicitur. Reuerberatio est expositio rei ad lambendum ab ignis flamma, vel à calore ignis suffocato, et ab exitu reuerberato introrsum. Calcinatio, est rei cuiusq́ tantisper facta p ignem tertij, vel quarti gradus exustio, vel p aquas ardentes, soluentes, fortesúe continuata maceratio, donec partium continuitas dissipetur, reiq́ corpus in puluerem subtilissimum, vel Cinerem, vel Calcẽ, vel squamas friabiles abeat. Sublimatio ẽ rei ab igne fugientis, et in idoneo vase collatæ tantisper subiecto igne conuenienti calefactio, et exustio, donec à fundo vasis continentis eleuata, sordibus impuris in fundo relictis, pura ipsius substantia, in forma nubis vaporosæ, vel fumi, sursum ascendat, et fuliginis in morem, lateribus vasis superioribus, adhæreat. Hæc itaq́ est breuis eorum præparandi modorum explicatio, quorum Paracelsus noster hoc opusculo meminit: quam quidem ego, Doctissime Legum, idemq́ optime Guttetere, non ideò huic præfationi inserui, quòd tibi aut necessaria sint, aut ignota existimem: sed vt Tyrones, aut etiam Doctores, si

*Reuerberatio.*

*Calcinatio.*

*Sublimatio.*

*Epilogus de præparationibus.*

quos discendi cupido tenet, aliquantulam hinc notitiam referre possint. Ampliorem verò horum doctrinam primùm quidem vt ex Gebro petant suadeo, qui methodicè hæc in sua summa perfectionis, tractat: Deinde verò vt videndo, et faciendo discāt, adhortor. Oportet nanq; discere, scireq; desyderantem multa et ferre, et facere: quemadmodum et ille multa tulit, fecitq; puer, qui Pythia cantat, abstinuitq; Venere, et Baccho. Etsi autem hoc opusculo non nimis argutas, nec omnino summas præparationes medicinarum perdocere videam Theophrastum, quemadmodum in libris Archidoxæ, quibus ipsa rerum omnium intima penetralia aperit, summa cum philosophiæ et totius naturæ explicatiōe: Tamen, cùm victus liberalitate et persuasione Illustris et Magnifici Herois Alberti à Lasko, vnici secretiorum studiorum patroni et promotoris, in animo habeam, ad communem totius humani generis salutem, eos quoq; libros iam iam typis subijcere excudendos: non abs re fore duxi, hoc ante in lucē emittere opus, quod et intellectu sit facilius: et specimen ex eo quisq; capere posit, quid ex illis vtilitatis, philosophiæq; sperare posit, cùm videat hunc libellum nudè, practicè, absq; vlla philosophiæ Theoria ꝓpositum, omnibus non modò Chirurgis, verùm etiam Physicis Doctoribus medicis apprimè necessarium et

*γνωμη.*

*Quare opus de præparationibus edendum sit.*

*Archidoxæ excellentia, & profunditas.*

*Albertus à Lasko.*

*Vtilitas operis.*

rium et

rium et vtilem esse, cùm in grauissimis interiorum morbis, non solùm exteriorum vulneribus, vlceribus, apostematibus, alijsq; malis, certa medicamina in tam paruo libello contineantur, quemadmodum id mox subsequens tabella ritè ob oculos pio lectori proponet. Sed est etiam breuitatis optima ratio habita, vt esset veluti memoriale quoddam, aut enchiridion, quod quisq; quocunq; iter faciens, vel manu, vel sinu secum habere posit. Quamuis verò appareat, non totum opus præparationum ad meas manus peruenisse, id quod Secundi libri Tractatus primus abruptus, satis indicat: Tamen cùm Primus integer sit, cum tàm præclara habeat medicamina, nec de alijs libris adhuc quicq; constet: nolui interea dum alios expectando res differtur, hac vtilitate, tot miserabilibus morbis languētes ægros, totamq; piorum Medicorum Scholam, orbatam et defraudatã esse: Sed bono, pio, et syncero animo, absq; omni fuco et simultate, omnibus bonis, pijsq; communicare: atq; alios item, si qui cætera habent, meo exemplo ad idem faciendum prouocare. Spero autē ego, certò mihi persuadens, optime Guttetere, futurum, vt cùm tuo sub nomine, quod plane boni publici amatori conuenit, qualem et te esse huius inclytæ vrbis Senatus populusq; agnoscit: exiguum quidem quantitate opusculum hoc, magnum tamen v-

*Breuitatis ratio.*

 tilitatis

tilitatis respectu, ꝓdierit in lucem: omnes deposito rãcore, et amaturos Theophrasticam medicinam: et Alchimiæ legitimũ finem, vsumq́ agnituros. Quod cũ factum fuerit, consydera quæso, Doctor excellentissime, quanta infirmis accedet commoditas, salus, vigor corporis et animi: complectere animo, quanta ad medicos ipsos honoris accedet authoritas, quantus splendor, quanta gloria: cùm efficatia medicamina habẽtes, in curãdis morbis mirabiles, omnibusq́ chari, et honorati habebũtur? Accipies igitur Amplisime ideq́ Doctisime Senator æquo animo Libellum hunc, magisq́ publici boni emolumentum, quod te natura tua, studiorum tuorum humanitas, doctrinæ celsitudo, nomen deniq́ ipsum beneficũ, semper curare et attendere monent, facta aũt tua, et conuersatio inter ciues, testantur: et offerentis animum, non modò qui erga Excellentiam tuã est, sed qui etiã erga totã cõmunitatẽ hominũ, consyderabis, atq́ existimabis potius: quàm breuitatẽ operis. Cumq́ quàm latè vsus eius pateat, tute ipse cognoueris, fac vt in omnium manibus te authore, verset. Nulla siquidem optimo Senatori conuenientior cura est: nulla Guttetero magis consona beneficentia: quàm vt ea, quæ ad omnes æquè pertinent, ad omnes æquè peruenire sua authoritate efficiat. Vale.

*Dedicationis epilogus.*

# Tabula continens diuiſionem, materiam, morboſq; medicinæ ſubiectos, in opere, De Præparationibus, Theophraſti Paracelſi: quæ indicis vicem ſupplebit.

Liber primus mineralium et metallorum, Lapidū et gemmarum præparationes in vſum medicum docet: qui quidem Tractatibus quinq; abſoluitur.

- Tractatus I. De Mineralibus indigeſtis. Videlicet
  - Antimonio, in
    - Morphæa.
    - Læpra.
    - Elephantia.
    - Vulneribus.
    - Vlceribus.
  - Lithargyrio, ī
    - Cancro.
    - Icteritia rubea.
    - Eſtiomenis.
    - Igne perſico.
    - Vulneribus.
  - Marchaſita, in
    - Reſtrictione
      - Sanguinis.
      - Menſtrui.
      - Hæmorrhoid:
    - Reſtrictione.
  - Cachimia, in
    - Dyſenteria.
    - Diarrhæa.
    - Lienteria.

- Thutia, in
  - Maculis oculorum.
  - Albugine oculorum.
  - Strumis.
- Talko, in
  - Vulneribus.
  - Vlceribus.
- Calaminari, in
  - Vulneribus.
  - Vlceribus.
  - Inflãmatioõibus ocu-(loru.
  - Igne persico.

II. Tractatus De Mineralibus medijs: vtpote

- Hæmatite, in
  - Sanguinolẽtis vlcerib9.
  - Menstruis.
  - Profluuijs immaturis.
  - Dysenteria laxa.
- Citrinolo, vel Saxifrago, in
  - Vsnea.
  - Arena.
  - Pruina.
  - Calculo omnium (generum.
- Arsenico, in
  - Vulneribus.
  - Vlceribus, et
  - Configurationibus alijs.
- Auripigmento, in
  - Fistulis.
  - Cancro.
  - Estiomenis.

Sulphure,

Tractat9 III. De lapidi: et gẽmis. vt

- Sulphure, in
  - Apostematibus pacutis, id est, Peste.
  - Pleuresi.
  - Asmate.
  - Conseruatiõe sanitatis.
- Corallis, in
  - Menstruo.
  - Profluuio.
  - Veneno ab ĩtra assumpto.
  - Tonitru ventris.
  - Incantato.
  - Obsesso.
  - Melancholico.
- Magnete, ĩ
  - Vulneribus.
  - Vlceribus cũ
    - Fluxu, et
    - Ramẽtis.
- Cristallo, in Lacte copioso generando.
- Rubino, in Dysenteria.
- Granato, in Maculis oculorum.
- Smaragdo, in Vomitu sanguinis.
- Sapphyro, in Tremore cordis.
- Hyacintho, in Febribus ex putrefacti=one aquæ et terræ natis.
- Vitriolo, in
  - Caduci morbi speciebus.
  - Suffocatione Matricis.
  - Syphita stricta, i., Lunati=ca in qua dormiẽs currit,

- et ambulat, tanq̃ vigilãs.
- Gutta.
- Corporibus plectoricis.

IIII. Tractat9 De Aluminibus, et Salib9. vt

- Alumine Rocho, in
  - Vlceribus cauernosis.
  - Scabie.
  - Pruritu.
  - Estiomenis.
  - Vlceribus
    - *Putridis*
    - *&*
    - *Hũidis.*
- Alumine plumoso, in
  - Paralysi.
  - Lethargo.
  - Membris suffocatis.
- Sale Entalico, in
  - Profluuio.
  - Hæmorrhoidibus.
- Sale anatro, in
  - Fistulis.
  - Citrilla ex Diafragmate.
  - Scrophulis.
- Sale gemmæ, ĩ
  - Purganda cholera.
  - Icteritia.
  - Hydrope citrina.
  - Doloribus ex sanguine putrefacto natis.
- Sale pegrinorum, in
  - Confortatione virtutis digestiuæ stomachi.
  - Apostematibus futuris.
  - Prolonganda vita.
- Sale nitri, in
  - Pleuresi.
  - Vlceribus cauernosis.

Tractatus V. De Metallis, vt

- Auro, in
  - Paralysi.
  - Tremore cordis.
  - Synthemate.
  - Febribus.
  - Doloribus matricis.
  - Hectica.
  - Peripneumonia.
  - Acutis.
- Argento, in
  - Doloribus
    - Cerebri.
    - Hepatis.
    - Splenis.
  - Profluuio.
- Stanno, in
  - Icteritia.
  - Asclyte.
  - Vermibus.
- Cupro, in
  - Vlceribus.
  - Vulneribus.
  - Vermibus.
  - Oris vlceribus.
- Ferro, in
  - Constipando.
  - Constringendo.
  - Exiccando.
- Plumbo, in Incarnando.
- Mercurio, in
  - Incarnando.
  - Laxando.

Liber Secundus nascentium ex terra præparatio-nes docet, cuius

Tractatus I. De Gummis et Resinis, videlicet

- Resina
- Balsamo.
  - Hæc deficiunt in præparatione.
- Terebinthina, in
  - Vermibus.
  - Vlceratiõibus ve-(sicæ.
  - Vlceribus.
  - Vulneribus.
- Opoponaco
- Galbano
- Serapino.
  - Horum præparatio deest.
- Mastyce, in
  - Doloribus stomachi.
  - Vlceratiõibus interio.
  - Doloribus iũcturarũ.
- Bdellio
- Storace
- Ladano
- Myrrha
- Thure.
  - Hæc iterum præparationem suam non habent.

Reliqui Tractatus, et Libri, quia nõdum nobis obtigerunt, eos si qui habent, amore Christiano, et studio Reipublicæ literariæ et Medicæ requirimus et hortamur, ne diutius latére patiantur, sed ad agnoscendam, propagandamq; gloriam Dei, et ad tuendam humani generis salubritatem, in publicum ædant. Quandoquidem iam Vere gemmas protrudente, Æstas, Autumnusq; subsequantur oportet.

DE PRÆPARATIONIBVS.

# P. THEOPHRASTI PARACELSI AB HOHENHAIM, Philoſophi ſollertiſsimi, ac vtriuſq; Medicinæ Doctoris.

## LIBER PRIMVS.

### TRACTATVS PRIMVS.

*De Mineralibus indigeſtis: Videlicet.*

De Antimonio: Marchaſita argenti:
De Cachimia alba, et Rubea:
De Talko fluido, et Spiſſo:
De Thutia, Calaminari, et Lithargyro.

## DE ANTIMONIO.

Virtutes Antimonij ſunt, in { Morphæa. Lepra. Elephantia. Vulneribus. Vlceribus. }

*Præparatio Antimonij in Speciebus Lepræ.*

℞ Antimonij optimè triti libram vnam, Aceti diſtillati fortiſsimi libras quatuor, Tartari crudi albi, libram ſemi, reduc ad puluerem ſubtilem, ad inſtrumentum Violæ: diſtilletur per retortum, et exibit oleum rubeum.

Antimonij in diuerſis morbis [illegible] etiam præparationes: quare in aliꝭs morbis curandis, aliter præparetur oportet: vt in vlceribus aliter, quàm in Lepra: aliàs eſſet maximum erratum.

*Præparatio Antimonij in Elephantia.*

Eadem eſt cum præparatione eius, quæ eſt in Lepra.

*Præparatio Antimonij in Morphæa.*

Recipe Antimonij optimè triti libram ſemi, Tartari calcinati, Aluminis, ana libram ſemi: Fac ſtratum ſuper ſtratum, reduc in ignem Reuerberatiõis, vſq; ad quartum gradum: deinde diſtilla, et exibit oleũ per ſe rubeum, ſpiſſum. *NOTA.* Stratum ſup ſtratum eſt, vt ponatur primùm ſtratum vnum de Alumine et Tartaro ſimul mixtis, poſtea ſtratum alterum de Antimonio, et ſic repetatur iterùm ſtratum Aluminis et Tartari mixtorum, et rurſum Antimonij, donec totum Antimonium reponatur, et vltimo cum ſtrato Aluminis et Tartari claudatur in ſummo ordine, ſicut in infimo.

*Stratum ſuper ſtratum quid.*

*Præparatio Antimonij in Vulneribus.*

℞ Antimonij, Tartari calcinati, ana libram ſemi, Alkool vini, Kiſt vnum. Fiat mixtura, diſtilla per Alembicum, vſq; ad reſolutionem rei: Cuius rei diſſolutæ recipe vnciam vnam, Alkool vini vnc: tres: Exſicca per coagulationem, reduc in oleum ſuper porfidum. Eſt ſummè curatiuũ in vulneribus, quãtum ad

*Kiſt, ſignificat romanis Sextarium. id eſt, libram vnã cum dimidia, & duas tertias, quæ faciunt vncias viginti.*

[illegible] Antimonium, exceptus [illegible]
Debet autem ita præparari, vt eousq; per aſcenſum ſeu alembicum diſtilletur, quousq; in fundo aquoſum eſt Antimonium.

*Præparatio Antimonij in Vlceribus.*

Recipe Antimonij, Colchotar, Floris æris, ad placitum, reduc ſtratum ſuper ſtratum ad gradum Reuerberationis: Fiat extractio cum Vino rubeo: reduc in Alkali. Recipe hoc Alkali, miſce cum oleo oliuæ, in formam vngenti, quod illitum vlceribus circum quaq;, maximè curat.

## *SEQVVNTVR additiones Præparatis admiſcendæ.*

*Additio Antimonij in Lepra.*

Recipe huius Antimonij vnciam vnam, Olei de fecibus vini Dragmam vnam, Olei Amigdalarum amarum, ad pondus omnium: Fiat mixtura. Si raucedo vocis non adeſt leproſo, vnctio facienda eſt ſemel atq; iterum in ſeptimana: Si verò æger raucedinem vocis habet, nihil iuuabit.

*Additio in Morphæa.*

Recipe huius Antimonij vnciam vnam, cum Kiſt vno Alkool vini, Traganti, Mucilaginis conſolidæ regalis, Mucilaginis ſeminum Pſyllij, Gumi Arabici, ana dragmas duas: Fiat in modum vngenti. In Alopecia et Morphæa eſt vnus proceſſus.

tur æger in loco calido, et caueat, ne in frigus pro-deat: generabit aũt crustas in superficie cutis, quæ tandem decident, et malum curabitur. Verùm ad hoc vngentum addatur Spermiolæ, Camphoræ, a-na dragma vna cum dimidia, Olei de Cerusa ad põ-dus omnium: fiat vngentum, quo diebus septem vel octo inungatur locus, postquam inductæ crustæ de-fluxerint.

*Additio in Vulneribus.*

Recipe huius Antimonij drachmas septem, Succi Tartari crudi, olei myrtillorũ ana drachmas quinq;: Fiat mixtura, de qua immitatur post dies duos se-mel in vulnus, aut ea illiniatur: nec est, quod accidẽs aliquod timeatur.

*Additio in Vlceribus.*

Recipe huius Antimonij præparati vncias tres, O-lei Colchotarini vnciam semi, * Olei Lentiscini ad pondus omnium, fiat vngentum, quod circum vl-cus inungatur. Sic autem nec Cancrũ, nec Elephan-tiam, nec Estiomena curat. Oleum Lentisci, est o-leum de corticibus ex Silere montano.

** Additur alibi, etiam Oleum mastycis, sed pro eodem capitur. Est .n. resina lentiscina, eadem quæ mastyx. quamuis author noster suam hoc loco lentiscum habeat sibi peculiarem.*

## DE LITHARGYRO.

Virtutes Lithargyri, sunt in { Cancro, et fistulis. / Ictcritia rubea. / Estiomenis. / Igne persico. / Vulneribus. }

*Præparatio Lithargyri in Cancro, & fiſtulis.*

Recipe Lithargyri triti libram ſemi, Aquæ Salis, et Aluminis, ana libram ſemi, Aceti albi libras quatuor: reduc ſuper carbones vſq; in conſummationē aquarum iſtarum: Cui9 Lithargyri recipe, cum aqua fontis, ana: reduc ad calores per noctem, et exicca. Sic etiam in fiſtulis hoc præparatum Lithargyrum prodeſt.

*Præparatio in Eſtiomenis.*

Recipe Lithargyri libram vnam, Tartari Calcinati libr: ſemi, Aquæ fontis vel fuliginis ana quantum ſufficit, Salis communis fuſi, aluminis de rocha, ana vncias ſex: Reduc in quartum gradum reuerberationis, cum aqua prædicta, in modum Alkali.

*Præparatio Lithargyri in Icteritia rubea.*

Recipe Mirrhæ, Thuris, ana vnciam vnam, Lithargyri vnc: quatuor, aceti fortiſsimi libram ſemi: Reduc in coctionem.

*Præparatio in Vulneribus.*

Recipe Lithargyri cum aceto quater albificati, libram ſemi, Succi Parthenionis, Conſolidæ minoris, Ariſtolochiæ rotundæ, ana. Fiat mixtura cum mulcilagine lumbricorum.

*Præparatio in Tentigine.*

Recipe Lithargyri abluti libram vnã, aluminis rochæ libram vnam et ſemi; Fiat mixtura optimè trita: pone

ta: pone ad quartum gradum reuerberationis p horas quatuor: deinde extrahe cum aqua fontis: Cum reliquo Lithargyro, et alumine rochæ, vt supra, ana: vsque in finem Lithargyri. Hæc præparatio est, cum Lithargyrum in alumine rochæ per horas quatuor iacere, seu macerari permittitur, Recipiat deinde huius alkali distillati, aquarum fontis, fuliginis ana libra semi: misceantur simul.

*Præparatio in Igne persico.*

Recipe Lithargyri abluti libras duas, Realgaris rubei vncias duas, Salis armoniaci vnciam semi: Misceantur, et disponantur ad Sublimatorium, quod semel atque iterum faciendum est, post aqua calida superfundenda, et sic separabitur Lithargyrum.

## *ADDITIONES.*

*Additio in Tentigine praua.*

Recipe huius Lithargyri vnciam vnam, Realgaris communis drachmam vnam, Succi vel aquæ Chelidoniæ, quantum sufficit: fiat in modum vngenti, quod posteaquam tenuissimè atque subtilissimè impõetur, cutis rubere incipiet, et fœtor fugabitur. deinde vtere sequenti vnguento.

Recipe huius Lithargyri vnciam vnam et semi, Mucilaginis de Fœnugræco, de Lumbricis nitri, ana, quantum sufficit: Fiat vnguentum.

Lumbrici nitri sunt qui in fimo putrido inueniuntur,

untur, suntq; minores, et rubeo colore.

*Additio in Vulneribus.*

Recipe huius Lithargyri vncias quatuor, Olei de camphora Scrupulum vnum, Croci Martis Scrupula quatuor: Fiat in modum vngenti, quo vtendum est in vulneribus, semel, aut ad summum bis, singulis diebus vnctione facta.

*Additio in Estiomenis.*

Recipe huius Lithargyri, pulueris Chelidoniæ, Gallarum ana vncias duas: Fiat pulvis. Mulcilaginis de Consolida, de Lumbricis nitri, Olei Myrtini, ana quantum sufficit, in modum vngenti, deinde curatur.

*Additio in Cancro.*

Recipe Lithargyri, Succi marrhubij Persicariæ, ana dragmam vnã, Lithargyri præparati vncias duas Olei ex vitellis ouorum quantum sufficit: Fiat in modum vngenti.

*Additio in Thiria rubea.*

Recipe huius Lithargyri præparati vnciam semi, Aluminis de rocha, vncias duas, Aquæ Salis vnciam vnam et semis.

*Additio in Igne persico.*

Recipe vitrioli electi vncias quatuor, Gallarũ vnciam semi, Lithargyri præparati ad pondus omnium, Vini et aceti, quantum sufficit. Hoc adhiberi debet, tãdiu donec reprimatur, aut suffocetur, quãtoq; plus reprimit, tantò melius.

## DE MARCHASITA.

Marchaſita aurea eſt in formam teſſeræ angulis terminata: Similiter autem etiam Marchaſita argẽtea.

Virtutes Marchaſitæ ſunt, in { Reſtrictione ſanguinis, Menſtrui, et Hæmorrhoidarum.

*Vſtio Marchaſitæ pro Sanguine.*

Recipe Marchaſitæ Vncias quatuor, Picis, Colophoniæ vncias ſex, reſinæ abietis ad pondus omnium: Reduc in calcem. Reducere in calcem, eſt apponere ſuper laterem, et vrere, vſq; ad conſumptionem picis: idq; reiterare bis aut ter, donec dealbet.

*Præparatio in reſtrictione Menſtrui.*

Recipe Marchaſitæ optimè tritæ vncias duas, Olei lini drachmas vij. Miſceantur, et incendantur, remanebitq; tandem vera natura.

*Præparatio in Hæmorrhoidibus.*

Recipe Marchaſitæ vnciam vnam cũ dimidia, Alkool vini optimè exiccati, libram vnã. Miſceatur.

*ADDITIONES.*

*Additio in reſtrictione Sanguinis.*

Recipe huius Marchaſitæ drachmam vnam, Coralloꝝ drachmam ſemi, Seminum plantaginis vnciam ſemi. Fiat puluis ſubtilis, qui vulneribus inſperſus: vel cum aceto mixtus, et infra vulnus alligatus, fluxum ſanguinis ſiſtit, Qui verò ſanguinem vomũt,

ex caſu

ex casu ab alto, ab his in potione assumendus est.

*Additio in Menstruis.*

Recipe huius Marchasitæ vnciam semi, Olei Sandarachæ, quantum sufficit. Fiat in modum vngenti. Quòd si Menstrua plus iustò fluunt, hoc vngento ad vmbilicum bis aut ter mulier inungenda est.

*Additio in Hæmorrhoidibus.*

Recipe huius Marchasitæ drachmas tres, Salis gemmæ, Mumiæ, omnium drachmam vnam: Fiat puluis, qui hæmorrhoidibus, si intumuerint, apertis aut incisis, inspergendus est.

## DE CACHIMIA.

Virtutes Cachimiæ sunt in { Dysenteria. Diarrhæa. Lienteria.

*Præparatio in Dysenteria.*

Recipe Cachimiæ benè tritæ vncias sex, Ferruginis ferri vnciam semi, reduc in secundum gradum ignis per horas sex, post excipe, et reduc in Alkali.

*Præparatio in Diarrhæa.*

Recipe Cachimiæ præparatæ vt supra, Olei nucis muschatæ quantum sufficit pro incorporatiõe, Reduc ad secundum gradum ignis in forma boli.

*Præparatio in Lienteria.*

Recipe Cachimiæ præparatæ vt supra, Gumi arabici dissoluti in aqua plantaginis, Fiat bolus. Reduc ad secundum gradum.

*Additio in Dysenteria.*

Recipe huius Cachimiæ vnciam semi, Columbæ assæ, quantum sufficit.

*Additio in Diarrhæa.*

Recipe huius Cachimiæ drachmam vnam, Teriacæ drachmas duas cũ dimidia, Terræ sigillatæ drachmam semi. Fiat bolus. Dosis à drachma vna, vsq; ad drachmas duas et semi: Tribue manè, meridiè, et serò: posteà tribus diebus ne amplius exhibeas, sed illis transactis, iterum tribue ter, et sic ter facito.

*Additio in Lienteria.*

Recipe Cachimiæ præparatæ drachmã vnam, Croci Martis drachmas duas, Corallorum rubeorum drachmam semi, Teriacæ quantum satis. Fiat bolus. Dosis, à drachmis duabus, vsq; ad tres vel quatuor, mane et sero quotidie exhibeatur.

## DE THVTIA.

Virtutes Thutiæ sunt in { Maculis oculorum. Albugine. Strumis.

*Præparatio ad Maculas oculorum.*

Recipe Thutiæ, Vitrioli albi, Succi Eufrasiæ, Fiat in modum boli cum gumi arabico, duc ad secundũ gradum ignis, et erit quoddam vngentum valẽs ad oculos.

*Præparatio in albugine oculorum.*

*Præparatio*

Præparatio Thutiæ est, vt ignita in lacte extinguatur, et in aqua rosacea maceretur. Apposita sup albuginem, tollit eam.

*Præparatio in Strumis.*

Recipe Thutiæ vncias quatuor, Salis fusi, Calcis viuæ ana, fiat stratum super stratum, ad quartũ gradum ignis: Reduc in Alkali.

## *ADDITIONES.*

*Additio in Maculis oculorum.*

Recipe huius Thutiæ drachmam semi, visci ranarũ drachmas duas, Olei laterini Scrupulum. Fiat collyrium. Cùm maculæ oculorum sunt citrino colore, et rutilant, iterum redire solent.

*Additio in Albugine.*

Recipe huius Thutiæ drachmam vnam, Vitrioli albi drachmas septem, Camphoræ vitæ drachmam vnam cum dimidia. Fiat mixtura cum aqua rosarum vel fœniculi. Hic morbus omnibus animalibus pedes habentibus contigere potest, * oculis arietum, et cæteris animalibus et hominibus. In hominibus ideò addita camphora vtendum est, ne vlla inflammatio superueniat.

*Additio in Strumis.*

Recipe Thutiæ vnciam vnam, Salis anatri, siue fellis vitri, Salis fusi, ana vnciam. Fiat mixtura, quæ hominibus Strumas pendulas habentibus, mane et

ſero trium vel quatuor ſeptimanarum ſpacio, potui exhibita, omnem Sturmam tollit, præter eam quæ cæruleo colore liueſcit.

On der grauen pintzker kropff

## DE TALKO.

Virtutes Talki ſunt in { Vulneribus. / Vlceribus.

*Præparatio in Vulneribus.*

Recipe Talk libram vnam, Cinerum fabarum, et auenæ ana ad pondus par, reduc ad quartum gradũ ignis per diem et noctem, ablue et exicca. Talkum exiccat ab imo fundo adeò vt nullum malum accidens vulneri ſuperueniat.

*Præparatio in Vlceribus.*

Adeò etiam Vlcera exiccat, vt nullum vlcus ſupra triduum relinquat incuratum.

*Additio in Vulneribus & vlceribus.*

Recipe huius Talki vnciam vnam, Liquoris Mumiæ, Terebintinæ lotæ ana quantum ſatis pro vngento. Curat Eſtiomena cauernoſa, et manantia vlcera.

## DE CALAMINARI.

*Virtutes Calaminaris.*

Calaminaris lapis, omnibus incarnatiuis emplaſtris rectè addi poteſt, tàm in vulneribus, quàm in vlceribus; In Collyrijs quoq;, modo Albugo non fuerit, nec

rit, nec maculæ oculorum, eſt ſummum experimentum, vt in oculis rubentibus. Item in Igne perſico, et in combuſtionibus.

*Præparatio ad Emplaſtra.*

Recipe Calaminaris abluti, id eſt puri, vnciam vnã, Colchotar, Sulphuris viui, ana vnciam vnam et ſemi. Fiat ſtratum ſuper ſtratum ad quartum gradum ignis per diem et noctem: Reduc ad ſecundam ablutionem.

*Præparatio ad Vnguenta.*

Recipe huius Calaminaris præparati, tres Vncias, Olei de vitellis ouorum drachmam vnam, Fiat bolus cum gummi arabico: Reduc ad ignem ſecundi gradus per horas quatuor: Reduc in ablutionem.

*Ad Oculos.*

Recipe huius Calaminaris præparati, vnciam vnã, Aceti diſtillati ſex vncias. Fiat extractio: deinde exicca.

*In Igne perſico.*

Recipe Calaminaris crudi, ſemilibram, aquæ Nenupharis ſex vncias, Aluminis plumoſi ſemiunciam. Reduc in digeſtione fimi per ſpacium hebdomadæ, diſtilla.

Eſt præparatio Gebri: errauit in iſta deſcriptiõe Petrus de Ancleta. Eſt etiam medicamen in Paneritio, Non vtendum in combuſtionibus.

*ADDITIONES.*

*Additio ad Emplaſtra.*

Recipe

Recipe Emplastri Apostolorum sex vncias, huius Calaminaris semunciam, Camphoræ drachmam vnam. Fiat emplastrum.

*Additio in Vngentis.*

Recipe Vngenti Agrippini vncias quatuor, Vngenti de Flore æris, semunciam, Calaminaris huius drachmas decem. Fiat mixtura, Optima in Vlceribus, in Pruritu, in Scabie.

*Additio in Collyrijs oculorum.*

Recipe huius Calaminaris vnciam, Aquarum Euphrasiæ, Fœniculi, Rosarum ana drachmas tres, Fiat collyrium per noctem.

*Additio in Igne persico.*

Recipe huius Calaminaris vncias sex, Aquarũ Vitrioli et Gallarum, id est Atramenti. Quidam recipiunt Atramentum sutorium, etiam in igne persico, et Icteritia Rubea.



Tracta-

# TRACTATVS II.

## DE MINERALIBVS MEDIIS.

De Hæmatite: Citrinolo, vel Saxifrago: De Arsenico: Auripigmento: et Sulphure.

## DE HÆMATITE.

Hæmatitis virtutes, vel arcana principaliora sunt, in
- Sanguinolentis vlceribus.
- Menstruis.
- Profluuijs immaturis matricis.
- Dysenteria laxa.
- Diarrhæa.

*Præparatio in Sanguinolentis vlceribus.*

REcipe Hæmatitis tres vncias, Luti Lephantei, ex quo cucurbitulæ sanguisugæ fiunt, Boli armeni, ana vncias tres, Fiat bolus cum Tragantho dissoluto in aceto. Reduc ad quartum gradum reuerberationis: deinde extrahe Alkali.

Hæmatites plurimum valet in vulneribus, in Lupo, in Herpete, quando sanguine manant, constringit enim venas, adeò vt nullus amplius sanguis manare valeat, postquam inspersus fuerit.

*Præparatio in Menstruis.*

Recipe Hæmatitis vncias tres, Mastycis dissoluti

vncias decem, Carabe vnciam vnã et semi. Fiat mixtura cum decoctione aquæ aluminis: Reduc in ablutionem. Cùm ea menstrua, quæ faciem pallidã reddunt, sistenda fuerint, sanat procul omni periculo exactè. Cùm igitur septem horarum spacio decocta fuerint, et Hæmatites veluti in pastam densiorẽ coaluerit, formentur ex eo Trocisci, quorum vsus est in menstruis.

*Præparatio in profluuijs non maturis.*

Recipe Hæmatitis vnciã vnam, Olei nucis muschatæ, Olei de granis * actiæ, Petrolei, ana drachmas tres: reduc in compositum. Dosis, Scrupulum vnũ debet in aqua rosarum decoqui cum radicibus plantaginis. Hæmatites sistit cursum profluuiorum, sed si torsiones superuenerint, sunt signum generationis lapidis.

* *Accatiæ puto.*

*Præparatio in Dysenteria laxa.*

Recipe Hæmatitis, Corallorum rubeorum, Spodij, ana drachmam vnam, seminis Tanaceti ad pondus omnium, Fiant Trocisci cum mucilagine de visco de botin. Dosis, drach: vna.

*Præparatio in Diarrhæa.*

Recipe Aluminis glaciei, Hæmatitis, Croci martis, ana. Fiant Trocisci cum gummi arabico dissoluto in aqua Plãtaginis. Aqua autem Plantaginis, ex radicibus et herbis paranda est. Dosis, à Scrupulo vno, ad drachmam semi.

Carnio-

Carniola si manu teneatur sistit sangninem, sed non Hæmatites.

## ADDITIONES.

*Additio in sanguinolentis vlceribus.*

℞ecipe huius præparati Hæmatitis drachmam vnā, Gallarum Scrupulum semi, Serapini Scrupulum vnum cum dimidio, Olei de Kerui, de floribus melonum, quantum satis ꝑ incorporatione. Fiat vngentum in vlceribus acutis. Adde loco Kerui liquoris Mumiæ, vt est in Herpete, in Estiomenis, in Lancientis.

*Additio in Menstruis.*

℞ecipe huius Hæmatitis vnciam vnam, Piperis lōgi, Nucis muschatæ ana drachmam semi, Cineris de ranis calamitibus, Scrupula quatuor, Fiant Trocisci cum aqua Mentæ. Dosis scrupulum vnum, vsq; ad scrupula duo.

*Sunt ranulæ virides, arboribus insidentes, pluuiarum prænunciæ.*

*Additio in profluuijs immaturis.*

℞ecipe huius Hæmatitis vnciam vnam, et * Traginam Kist, Aquæ Marrhubiј, Succi Melissæ ana vnciam vnam, Fiat mixtura. Dosis ab vnica semi, vsq; ad vnam et semi.

** Traganthi mucilaginem intelligo.*

*Additio in Dysenteria.*

℞ecipe Hæmatitis præparati, detur in vino rubeo, in quo sit extinctum ferrum, aut cū Teriaca imbuat.

*Additioin Diarrhæa.*

℞ecipe huius Hæmatitis drachmas tres, Perlarū scru

pulum semi, Mumiæ liquefactæ ad pondus omniũ. Fiat mixtura. Dosis à drachmis duabus vsq; ad tres vel quatuor.

## DE SAXIFRAGO.

Præparatus Saxifragus omnem Lapidem, Tartarũ, Vsneam, arenam, pruinam, et cæteras Calculi species, expellit.

Virtutes Saxifragi sunt, q tollũt { Vsneam. Arenam. Pruinam, et Cætera õnia genera Calculorũ. }

Saxifragus propriè dicitur pallens Cristallus, quem lapidem Citrinolum, siue Citrin vocant.

*Præparatio prima ad Arenam, Vsneam, Pruinam, Grandinem &c.*

Recipe Saxifragi vnciam vnam, Boracis drachmas duas, Salis gemmæ vncias sex, Salis fusi vnciam vnam, reduc stratum super stratum ad ignem reuerberationis, per quartum gradum, ab occasu in aurora. Reduc in Alkali. Dosis drachma semi, cũ vino albo.

*Præparatio secunda, ad Arenam, Vsneam, Pruinam, Grandinem &c.*

Recipe huius Saxifragi vnciã vnam, reduc ad quartam reuerberationem, cuius reuerberati recipe vnciam vnam, Cinerum ex radicibus petroselini Scrupulum vnum, Fiat mixtura per se. Dosis à Scrupulo vno, vsq; ad tria vel quatuor.

Recipe huius Saxifragi drachmã vnam et ſemi, Seminis Apij, Erucæ, ana drachmam vnam, Medonis clarificati vncias decem, Doſis ab vncijs quatuor, vſqꝫ ad ſex, vel ſeptem. Continuetur tamdiu, donec vrina ſub forma Tartari eijcitur.

## DE ARSENICO.

Virtutes Arſenici ſunt in:
- Vulneribus
- Vlceribꝰ, et alijs
- Cõfiguratiõibꝰ:
  - Syronibus.
  - Cancro.
  - Fiſtulis.

Arſenicus eſt fumus metallorum, potiſsimũm è plũbo exhalans, eſt Realgar, vel fulgur à metallis.

Tres ſunt præparatiões Arſenici, in:
- Mumiam.
- Balſamum.
- Liquorem.

Præparatio prima eſt reductio Arſenici in Mumiã, In hac præparatione venenum illi adimendum eſt. Nihil æquè curat vlcera et vulnera, vt Arſenicus, ſi eſt præparatus. Syrones etiam curat, et omnia vlcera, Cancrenas, Fiſtulas.

Arſenicus ex Saturno optimus eſt, et ex Luna. Item ex Stanno eſt optimus. poſtea ex Ferro et Cupro ſunt ſimiles.

Secunda Arſenici præparatio eſt, reductio Arſenici in Balſamum.

Tertia, reductio ipsius in liquorem.

*Præparatio Arsenici in Mumiam.*

Recipe Arsenici albi vncias sex, Salis fusi, Colchotar ana vnciam vnam et semi. Fiat mixtura, reduc ad secundum gradum reuerberatiõis per horas tres vel quatuor, et excipe. Hoc sex vicibus iterandum est, vt quod superius est colligatur, et contundatur, et iterum reuerberetur.

*Præparatio Arsenici in Balsamum.*

Recipe Arsenici albi vncias decẽ, Talk vncias quatuor, Calcis viuæ quindecim. Fiat mixtura subtilis, reduc ad quartum gradum reuerberationis per viginti quatuor horas, hoc enim spacio ascendet, et iacebit superius. Tunc collige eum, et erit instar vitri, venenum autem iacebit in fundo inferius in Calce. Quod supra collectum est, teratur, et impositum vitro, in celario resoluetur in oleum, siue Balsamũ.

*Præparatio Arsenici in Liquorem.*

Recipe Arsenici crudi aut albi semilibram, Salis nitri libram vnam, Salis gemmæ vnciã semi. Fiat puluis subtilis, reduc in reuerberationem apertam per horas viginti quatuor. Cum ista mixta fuerint, et ad ignem reuerberationis posita: tũc Arsenicus tres horas crematus dissoluitur, siue funditur, et postq̃ dissolutus fusus*ue* fuerit, proijciatur vel fundat̃ in aquam, et tandem coaguletur in modum alkali.

Additio,

## ADDITIONES.

*Additio ad Mumiam.*

Recipe huius Mumiæ vnciã vnam, Liquoris Myrrhæ, Botin, ana vncias duas. Fiat in modum olei. Istud oleum est optimum in vlceribus, etiam in vulneribus, siue sint estiomena, siue vlcera; est maximũ mundificatiuum.

*Additio ad Balsamum.*

Recipe huius Balsami drachmas tres, Olei vitellorum drachmas decem, Terpentinæ distillatæ drachmam vnam. Fiat mixtura. Sicut Mumia, sic et Balsamo vtendum est, vt qualibet duodecima hora in vulnus vel vlcera aliquantum immittatur.

*Additio ad Liquorem.*

Recipe huius Liquoris drachmas quindecim, Corticum granatorum, drachmas sex, corticum Thuris drachmas duas, Mucilaginis de Botin ad pondus omnium. Fiat mixtura.

## DE AVRIPIGMENTO.

Virtutes Auripigmenti sunt in { Fistulis. Cancris. Estiomenis.

*Præparatio ad fistulas.*

Recipe Auripigmenti vnciam vnam, Tartari calcinati vncias tres. Fiat stratum sup stratum, reduc ad quartum gradum reuerberationis per horas viginti

quatuor

quatuor per diem et noctem. Cùm hoc modo coquitur, confluit, et cùm fluxerit, exemptum teratur in puluerem, et coquatur in aqua, et residebit puluis albus in fundo, qui est Auripigmentum præparatũ. Hoc in vitro positum, vertetur in oleum, quod vel per Syringam immittendum est in fistulas, vel intincto panniculo superponendum. Puluis quinetiã ipse vtiliter vlceribus inspergitur.

*Præparatio ad Cancrum.*

Recipe Auripigmenti vncias quinq;, Fuliginis semunciam, Salis armoniaci vncias tres, reduc ad quartum gradum reuerberatiõis per diem et noctem, reduc in Alkali. In Cancro est summũ archanum.

*Præparatio in Estiomenis.*

Recipe Auripigmẽti vncias tres, Aluminis calcinati vncias sex, reduc ad ignem vt supra cum extractione Alkali.

## ADDITIONES.

*Additio in fistulis.*

Recipe huius Auripigmenti præparati drachmam semi, Resinæ Pini vnciam vnam, Ceræ ad pondus omnium, Fiat in modum cerati, quod fistulis superimponatur.

*Additio in Cancro.*

Recipe huius Auripigmenti præparati drachmas quinq;, de cineribus fimi columbarum, olei vitellorum ouorum, quantum sufficit in vnguentum. Huius vsus est in Cancro.

Addi-

*Additio in Eſtiomenis.*

Recipe huius Auripigmenti drachmas ſex, Liquoris Mumiæ drachmas duas, Olei roſarum ſeſqui vnciam, Mucilaginis ſeminum Pſyllij ad pondus omnium. Fiat in modum vngenti, aut cataplaſmatis. Cùm ægri queruntur de exceſſu caloris inflammationis, tunc primùm oleum Camphoræ ſuper imponendum eſt.

## DE SVLPHVRE.

Virtutes Sulphuris ſunt in
- Apoſtematib9 pacutis
- Aſmate.
- Cõſeruatiõe ſanitatis.

Apoſtemata peracuta ſunt peſtis, pleureſis etc.

*Præparatio in Apoſtematibus peracutis.*

Recipe Sulphuris viui libram vnam, Colchotar, Salis fuſi ana ſemilibram, Fiat puluis, reduc in ſublimationem. Cùm ſublimatum fuerit, recipiatur, et cũ noua additiõe iterum ſublimetur vt prius, atq; hoc ter vel pluries repetatur.

*Præparatio in Aſmate.*

Recipe Sulphuris fuſi libram vnam. De floccis ſandalorum rubeorum, Cupreſsi et Pini, ana ad pondus ſulphuris, fiat ſtratum ſuper ſtratum, reduc ad ignem reuerberationis: tãdem in Alkali. Cuius Alkali recipe vncias decem, Myrrhæ vncias quinq;. Sublima. *

* *Aliquid deeſſe videtur.*

*Præparatio pro Sanitate.*

Recipe Sulphuris vncias quatuor, Croci orientalis, Myrabolanorum Cebulorum, bellericorũ, ana vnciam vnam, Olei de granis Iuniperi quantum sufficit pro incorporatione, reduc in sublimationem igne lentissimo.

## ADDITIONES.

*Additio in Apostematibus peracutis.*

Recipe huius Sulphuris præparati vnciam semi, Olei nucis muscatæ drachmam vnam, Aquæ Veronicæ præparatæ ad pondus omniũ. Fiat haustus.

*Additio in Asmate.*

Recipe huius Sulphuris vnciam semi, Myrrhæ rubeæ, Croci orientalis, ana drachmam semi, et Scrupulum vnum, Aloes Epaticæ ad pondus omnium. Dosis à Scrupulo semi vsq; ad vnum.

# TRACTATVS III.

## DE GEMMIS PERSPICVIS et non. Videlicet.

| | |
|---|---|
| De Corallis: | Magnete: |
| De Cristallo: | Rubino: |
| De Granato: | Smaragdo: |
| De Saphyro: | et Hyacintho. |

Gemmã

Gemmam voco, quemlibet lapidem, cuius virtus eſt in medicina.

## DE CORALLIS.

Virtutes Corallorũ ſunt contra

- Menſtruum et Profluuium.
- Venenũ ab intra aſſumptũ.
- Tonitru, id eſt, Murmur Stomachi et Inteſtinorum.
- Incantatum per infaſcinationem.
- Obſeſſum, id eſt, Maniacum.
- Melancholiam, ſiue phantaſticam perſuaſionem.

*Præparatio Corallorum ad reſtringendum Menſtruum, & Profluuium.*

Recipe Corallorum vnciam ſemi. Olei Myrtilloꝝ drachmam vnam. Olybani vnciam vnam cum dimidia, Salis fuſi vncias duas. Fiat mixtura. Reduc ad calcinationem per quartum gradum reuerberationis per horas duodecim vel vltra. Poſtea reduc in ablutionem in aqua Plantaginis.

Coralli reſtringunt vrinam, ſed nõ ſemꝑ mẽſtruũ.

*Præparatio contra Venenum.*

Recipe Corallorum optimè tuſorum vncias duas, Aquæ Liguſtici libram ſemi, Salis gemmæ, vitrioli albi, ana drachmas duas, reduc in digeſtionem, in ſecundum gradum ignis per menſem; Rubeum ex-

cipe et coagula. In venenis, medicamentũ sine corpore sit oportet, quandoquidem et venenum est sine corpore. Rubedo illa, quæ in fundo residet, valet contra venenum.

*Præparatio in Tonitruis.*

Recipe Corallorum vncias sex, de cineribus Cumini romani, fabarum, ana vncias tres, Aluminis præparati, ad pondus omnium. Fiat mixtura. Reduc ad digestionem per duos aut tres dies, exicca. Ista p̃paratione Corallorum debes vti ad Diaciminum.

*Præparatio Corallorum contra Incantatum, Obsessum, Timidum, & Melancholicum.*

Recipe Corallorum vncias tres, visci quærcini, Hypericonis ana vncias quatuor, * Storacis calamitæ, Ladani gumi ana drachmam vnam et semi, Vrinæ distillatæ libras duas. Reduc in decoctionem clauso alembico per diem et noctem, distilla, et desuper funde vt supra. Coralli hac ratione præparati rubescunt, et plurimũ indurãtur, ideoq́ primùm in puluerem redigendi sunt.

* Styracis rectius.

## *ADDITIONES.*

*Additio in Menstruis.*

Recipe Corallorum præparatorum drachmã vnã, seminum Tanaceti, Plantaginis, ana scrupulũ vnũ, et semi, Piperis longi, nucis Muscatæ, ana scrupulũ semi, Fiat puluis. Dosis, scrupulum vnum, in ouo tempera-

temperato cum sale debet assumi, alias non iuuat.

*Additio contra venenum.*

Recipe Corallorum præparatorũ scrupula quinq;, Theriacæ vnciam semi, radicum Lapati maioris, ad pondus omnium, Alkool vini exiccati libram semi, reduc ad digestionem per septimanam, Dosis à granis quindecim, vsq; ad Scrupula duo. Si quis venenum hausit, accipiat cũ drachmis duabus aquæ Prunellæ, aut Rosarum, atq; hoc subinde vice post vicem reiterando factitet, vt benè sudet, et nullum in aliquo membro dolorem sentiat, sed sæpius et subinde exhibenda est.

*Additio in Tonitruis.*

Recipe Corallorum istorum drachmas duas, specierum Diacymini drachmas quatuor, Sanguinis hirci præparati ad pondus omnium. Fiat Tragea cum Zuccharo. Dosis ad placitum. Hircum Spagyri castratum intelligunt, marem, vel fœmellam, herbis Diaphoreticis æducatum, qui in medicina bono vsui est.

*Additio in Incantatis &c.*

Recipe huius Coralli præparati drachmas nouem, Ostrucij, plantæ Angelicæ, visci quercini, ana vnciam vnam et semi, fiat mistura cum aqua Hypericonis. Dosis ab vncijs quinq; vsq; ad vncias sex. Optimum medicamen in principio Timorpantiæ.

## DE MAGNETE.

Virtutes eius sunt, in { Vulneribus et Vlceribus cum { Fluxu et Ramentis.

*Præparatio ad hæc.*

Recipe Magnetis vnciam vnam, calcis ouorum vncias duas, Fiat stratum super stratum ad quartũ gradum Reuerberatiõis per diem et noctem, postea addatur calx corticum ouorum.

*Additio in ijsdem.*

Recipe Magnetis vnciam semi, Carabe vncias duas, fiat puluis subtilis, quẽ cum Emplastro Oppodeltoch siue Emplastro Apostolico libræ semis, reduc in vnum per agitationem. Hoc emplastrum superpositum extrahit ossa ex vulneribus bombarda ictis, vel vlceribus, et cæteris vulneribus.

## DE GEMMIS.

*Præparatio Gemmarum quadruplex est* {
1. Per Reuerberationem.
2. Per Calcinationem.
3. Per Eleuationem.
4. Per Distillationem.

CRISTALLVS eam habet proprietatem, quòd si mulieribus exhibeatur ab intra, generat lac abundanter. Sed requiritur ad minus vna libra cristallorum, hoc modo præparanda.

Recipe Cristalli libram vnam, aquæ Entali libras duas, Fiat mixtura per imbibitionem, per horas viginti qua

ginti quatuor, et sic habebis ex libra vna, quartam libræ partem, cuius Dosis est drachmæ duæ.

*Calcinatio Cristalli.*

Recipe Cristalli vnciam vnam, Salis armoniaci vncias tres, reduc in puluerem, ad sublimatorium. Sublimatio autem huiusmodi sex vicibus iteranda est, et qualibet vice Cristalli deponendi sunt.

Recipe huius Cristalli eleuati vnciam semi, aquæ communis distillatæ vncias quatuor, reduc in Alkali, cuius dosis est vncia semi.

*Distillatio Cristalli.*

Recipe Cristalli eleuati vnciam vnam, Aquæ nitri et aluminis sine distillatione, ana vncias duas, reduc in digestionē ad duos dies, aut tres, vel quatuor: deinde distilla, et distillatum coagula: coagulatum resolue. Coagulatio debet fieri super ignem lentum ac paruum, coagulatum hoc, in cellarium repositum in aquam resoluet: Et hæc est vltima Cristalli præparatio, cuius dosis est scrupulum vnum.

Et sic est de omnibus gēmis preciosis præparatio, vt in Cristallis.

In RVBINIS summa virtus est in Dysenteria, et eius dosis est vncia vna, si fuerit crudus: Sed si reuerberetur, dosis est drachmæ duæ. Post calcinationem drachma vna: post Eleuationem drachma semi: Post distillationem scrupulum vnum.

Grana-

GRANATI, sic distillati, est potentissimũ collyrium ad maculas oculorum.

SMARAGDI si fuerint præparati, iuuant sanguinem reiectantes per vomitum.

SAPHYRI si fuerint ad tertiam vel quartam præparationem deducti, tremorem cordis tollunt. Saphyrus si fuerit præparatus, cum tremor cordis ingruit, tollit. Dosis grana quinq;. Synthema et pũctiones cordis quoq;.

Sic etiam de cæteris gemmis et lapidibus preciosis multa scripsit Bartholomeus Anglicus.

## *ADDITIONES.*

*Additio ad generationem lactis.*

Recipe *Cristalli* præparati drachmas duas, de spermate *Cæti*, Seminibus Lactucæ, drachmas quatuor et semi. Fiat puluis cum administratione aquæ Amigdalarum.

*Additio granatorum in tremore cordis et paßione hæmoptoica.* Blutt speien.

Recipe Granatorum vnciam semi, Aloë patici, drachmas tres, Sulphuris præparati drachmam vnam cum dimidia, Fiat mixtura cum Zuccaro clarificato, cuius dosis est, à duabus vsq; ad tres drachmas. Hoc medicamine procedendum est, etiam ad quintum diem posthac, cùm nullus tremor cordis adest.

*Additio Saphyri.*

Recipe

Recipe Saphyri drachmas tres, Ambræ dissolutæ drachmam vnam cum dimidia, Styracis calamitæ scrupulum vnum, Fiat mistura, cuius dosis à scrupulo vno, vsq; ad scrupulum vnum et semi.

*Additio Smaragdi.*

Smaragdus confortat mulieres in suis doloribus, et est in illis ægritudinibus summum archanum, si fuerit præparatus in distillatione, vt Cristalli.

Recipe huius Smaragdi præparati Scrupulum vnum, Liquoris Melissæ drachmam vnam, Abrotani drachmas duas. Fiat mistura, cuius dosis à gutta tertia vsq; ad sextam.

*Additio Hyacinthi præparati.*

Recipe huius Hyacinthi præparati scrupulum vnũ, Laudani gummi, scrupulum vnũ cum dimidio, Fiat mixtura. Et est summum archanum *In febribus ex putrefactione aquæ & terræ.* Vbi febres eiusmodi oriunt̃, bibant in nouilunio quinq; aut quatuor guttas. Nec certi sunt qui non inficiuntur à febre bis in anno, et semper in nouilunio.

# TRACTATVS IIII.

## DE SALIBVS.

De Sale gemmæ: Sale nitri.
De Sale Entalico: Sale anatron.
De Sale peregrinorum.
De Aluminibus: De Vitriolis:
et de Alkali.

Omnia Salia et Alumina ſunt ex elemento aquæ.

## DE VITRIOLO.

Virtutes Vitrioli, ſunt in
- Speciebus caduci.
- Suffocatione matricis.
- Siphita ſtricta, hac laborant, qui nocte dormiẽdo ambulant.
- Gutta.
- Corporibꝰ plectoricis.

*Præparatio in ſpeciebus caduci.*

Recipe Vitrioli Cuproſi libram vnam, reduc ad ſeparationẽ à phlegmate: Cuius phlegmatis ſuas partes, reduc ſuper Colchotar ſuum, diſtilla: reitera in quartum gradum ignis. Doſis, ſcrupulum ſemi, vſq; ad ſcrupulum vnum, ante et poſt paroxiſmum. Cùm morbus ex elemento Vitrioli veniat, Vitriolum curãdum eſt. In Sale Vitrioli eſt morbus caducus, In die paroxiſmi, et ſub paroxiſmo debet medicina tribui.

*Præparatio in ſuffocatione matricis.*

Recipe Vitrioli à phlegmate Colchotar purgati vncias duas, Pulegij vncias tres, Alkool vini vnciam * ſemi,

am * semi, reduc per distillationem. Dosis, scrupulum semi, vsq; ad scrupulum vnum. Est potentissimum medicamen in suffocatione matricis. * Quinq, opinor vncias.

*Præparatio in Gutta, & Siphita stricta.*

Recipe Vitrioli præparati vnciam vnam, Alkool vini Vnci: Aluminis iameni, id est **kreyder weiß**, et habet quandam dulcedinem, vnciam semi, reduc in liquorem per quartum gradum ignis. Dosis, ab extra, drachma semi: ab intra à granis sex vsq; ad nouem. Ab extra, supra locũ Synthematis. Ibi aũt morbus est, vbi originem habet, id est, in pulsu, hoc est suum Synthema. Quòdsi altius ascenderit, alligandum est medicamentum et ad pulsum, et similiter ad collum. In Siphita praua, id est, **Schlahen die weitz tantz**, est bonum medicamen: Verùm in Siphita stricta nihil potest. In Gutta oportet hoc medicamen* renouatum super linguam, in qua gustus est, administrare, hoc est, si quis Paralysi percussus fuerit, ponenda est medicina in os super linguam, et est optimum medicamen. * Calefactum vel tepidum, opinor.

*ADDITIONES.*

*Additio in Siphita.*

Recipe huius Vitrioli præparati drachmam vnam, Seminum Hypericonis vnciam semi, Ambræ grana sex, reduc in mixturam.

Semen Hypericonis tollit Siphitam strictam.

Recipe huius liquoris grana septem, granorũ actiæ drachmam vnam, Alkool vini ad pondus omniũ, reduc in compositionem. Si locus est in Vmbilico, illuc apponatur. Si suffocatio est cum vomitu, vtatur etiam altera illa medicina ab initio, vt dictum est de suffocatione matricis.

Summa præparatio Vitrioli est, vt separetur à Colchotar, postea addatur Alkool vini æquali põdere, quo facto imponatur panis adustus ( id est, panis ex furfuribꝰ siliginis cõfectus, et exiccatus adeò, vt in mortario in puluerem redigi possit ) in liquorem Vitrioli, et per mensem ponatur ad fimũ equinum, postea separetur à pane per distillationem: deinde verò etiam Alkool separetur per balneum primi gradus à Vitriolo.

Si Vitriolum acetositatem amittit, nullam amplius virtutem obtinet.

## DE VITRIOLO ALBO.

Virtutes Vitrioli albi sunt hæ,
- Dolorũ oculi species exteriores vt Scotomia.
- Albugo.
- Neutha, id est, quando cutis quædam super oculos, vel super aures crescit in partu pueri.

Neutha sunt cutes carnosæ, vel membranæ, quæ superfluunt

perfluunt in partu, quocunq; tandem in loco corporis, membroúe fuerint, vt in facie, in vulua, in ore, in oculis, etc. Vitriolum album est summum medicamentum in Neutha, et ad exteriora oculorum.

*Præparatio Vitrioli albi ad dolores exteriores oculorum.*

Recipe Vitrioli albi drachmas quinq;, olei de Siligine vnciam semi, olei de Camphora drachmas duas, reduc ad putrefactionem, nempe per fimũ equinum per mensem: distilla per descensum.

Oleum ex Siligine fit, cum Siligo candenti ferro imponitur, et circumquaq; pinguedo quædam ex ea exsudat, quæ est oleum ipsius, ad oculorum exteriores dolores vtile. Quando ex panno oculis albugo super inducitur, peroptimè terenda est cum aquis Eufrasiæ, Rosarum, et Fœniculi, et lauanda cum istis aquis.

*Præparatio Vitrioli albi in Neutha.*

Recipe Vitrioli albi vnciam vnam, Olei Tartari drachmas sex, Olei laterini drachmas quinq;.

Thymum non est corrosiuis aperiendum. * Thymam.

*ADDITIONES.*

*Additio ad exteriores dolores oculorum.*

Recipe præparati Vitrioli scrupulum vnum, liquoris Euphrasiæ scrupula duo, Papaueris rubei, drachma vna. Fiat collyrium.

*Additio in Neutha.*

Huius Vitrioli præparati recipe drachmam vnam, liquoris Iusquiami drachmas duas, Olei nucis Muschatæ grana septem. Fiat collyrium.

## DE ALVMINE ROCHO.

Virtutes eius sunt in
- Vlceribus cauernosis.
- Scabie et Pruritu.
- Estiomenis.
- Vlceribus
  - Putridis.
  - Lasciuis.
  - Humidis.

*Præparatio prima Aluminis, ad omnia ista.*

Recipe Aluminis rochi libras duas, Aceti albi librã semi, Salis fusi ferthonem, id est, quartam libræ partem, Fiat mixtura cum ebullitione, vsq; in coagulationem, distilla. Cùm aqua facta fuerit, vlcera cauernosa lauentur cum ea, aut balneentur in ipsa, tepidè, estq; mirabile experimentum. Quòd verò hac non curatur medicina, neq; alia curabitur.

*Alia præparatio ad omnia ista Vlcera.*

Recipe Aluminis libras decem, Succi Chelidoniæ, Plantaginis ana libram vnam, Parthenionis libram semi. Distilla. Libram vnam istius, et aquæ communis decem. Fiat Epithimum ad Alopetiam, Thymam, et in vlceribus fiat balneum ex ipsa, in qua lauetur quanto calidius sustineri potest.

De Alu-

## DE ALVMINE PLVMOSO.

Virtutes eius sunt in { Paralysi. / Morbo Lethargico. / Membris suffocatis, id est, quæ nullum sensum habẽt aut nihil sentiunt. }

*Præparatio ad omnia ista.*

Recipe Aluminis plumosi vncias sex, Colchotarini resoluti, vncias quatuor cum dimidia, Salis armoniaci drachmas quatuor. Reduc in resolutionem.

Ex plumoso descendit virtus insensiua, igitur optimum medicamen in Paralysi.

*Additio in Paralysi, Lethargo, & membris suffocatis vel stupefactis.*

Recipe huius præparati Aluminis vnciam vnam, Sanguinis draconis vncias tres, Liquoris Mumiæ drachmas septem. Fiat in modum vnguenti. Locus est etiam in Occipitio in Nucha.

## DE SALE ENTALICO.

Virtutes eius in { Profluuio. / Hæmorrhoidibus. }

*Præparatio in Profluuio & Hæmorrhoidibus.*

Recipe Tartari communis, Entali, ana vncias duas, Carabe, vel Mastycis, drachmas duas cum dimidia, reduc in reuerberationem ad secundum gradũ,

postea

postea reduc in Alkali. Locus in profluuio, in vm-
bilico: Locus Hæmorrhoidarum in spina dorsi.

*Additio in Profluuio.*

Recipe huius Entali præparati drachmam vnam, boli adusti drachmas tres, Hæmatitis correcti drachmam vnam cum dimidia. Fiat mixtura.

*Additio in Hæmorrhoidibus.*

Recipe huius Entali præparati scrupula sex, Olei nucis Muscatæ in modum vnguenti, Locus, in spina dorsi, in fine vngendum est.

## DE SALE ANATRON.

Anatrum est sal, quod in petris, in modum Vsneæ crescit, quod cum decoctum fuerit, coagulabitur ex eo sal, quod est fel vitri.

Virtutes eius sunt in { Fistulis. Cintilla, vel Citrilla. Scrophulis. }

Cintilla, id est, bauchfluß, ex Diaphragmate est, et cura ex puro Anathro.

*Præparatio in fistulis, Cintilla, & Scrophulis.*

Recipe Anatron drachmas sex, cineris Fabarũ vncias duas, Calcis ex testis ouorum vncias tres, reduc in quartum gradum reuerberationis ad duodecim horas. Extrahe Alkali.

Anatron habet in se Mercurium volatilem, quē debemus corrigere, et sic corrigitur, et est.

*Additio in fistulis, Cintilla, & Scrophulis.*

Reci-

Recipe Anatri vncias duas, Butyri crudi vncias quatuor, Pinguedinis murmellinæ vncias tres, fiat vngentum, et est optimum ad fistulas, ad Cintillas, et Scrophulas.

## DE SALE GEMMÆ.

Laxatiuum Salis acuti, id est, Choleræ, et * Causonidis Coloquintidæ. * Causonis, id est, Coloquintidos.

Curat { Ictericiam. / Hydropisim Citrinam. / Dolores superuenientes ex sanguine putrefacto.

*Præparatio in Hydrope & Ictero.*

Recipe Salis gemmæ, succi Tytimalli, id est, Esulæ minoris, ana vnciam vnam, ex Cerasis ad pondus omnium, reduc in bolum, reduc ad tertium gradũ reuerberationis per duas horas, Extrahe alkali, cuius dosis à granis octo, ad grana duodecim. In loco Diagridij potest vti, et addi trociscis Allãdahal.

*Additio.*

Recipe Salis gemmæ scrupulum semi, Rebotij (est veræ Mumiæ liquor) Centaureæ ana scrupula quatuor. Reduc in compositum. Dosis à granis quatuor vel quinq;, vsq; ad decem, vel duodecim, in ouo.

## DE SALE PEREGRINORVM.

Virtutes. { In confortatiõe digestiõis ĩ stomacho. / Contra aëris infectionem. / Contra apostemata futura.

*Descriptio Hermetis.*

Recipe Salis nitri, Salis fusi, Salis gemmæ, ana drachmam vnam, Galangæ, Macis, Cubebarum, ana scrupulum vnum; Fiat puluis. Dosis in aurora, grana quatuor.

Qui hoc Sale semel in mense, vel amplius vtitur, tussim reprimet, et est ad senis vsum, et ad longam vitam, conducit.

*Præparatio Salis peregrinorum.*

Recipe Salis istius vncias tres, Alkool vini exiccati libram semi, Fiat extractio Alkali. Huius Alkali recipe vncias duas, Liquoris granulorum Iuniperi Kist vnum, reduc in compositum. Dosis granum vnum.

Illud est p̄paratio et additio Salis peregrinorū.

## DE SALE NITRI.

Virtutes { In pleuresi et Vlceribus cauernosis.

*Præparatio in Pleuresi.*

Recipe Salis nitri libram semi, Tartari crudi libram vnam, distilla in sextum alembicum. Dosis à scrupulo vno, vsq; ad scrupulum vnū cū dimidio, in aqua fontis mane, nocte, in media nocte est danda. Purgat per vrinam.

*Præparatio in Vlceribus cauernosis.*

Recipe nitri, Aluminis ana libram semi, Aquæ fontis libras duas distilla in aquam.

*Additio contra Pleuresim.*

Huius nitri recipe drachmas duas. Aquæ Cæsaris, siue Regis, scrupulum semi, Alkool vini exiccati drachmas decem, Fiat mistura. Dosis drachma semi, vel drachma vna cum dimidia.

*Additio in vulneribus cauernosis.*

Recipe aquæ Plãtaginis, Chelidoniæ, de querci folijs, ana libram vnam. Fiat. ad crura, id est contra dolores crurum.

# TRACTATVS V.

## DE METALLIS.

De Auro: Argento: Stanno:
Cupro: Ferro: Plumbo:
et Mercurio.

## DE AVRO.

Virtutes Auri in
- Paralysi.
- Tremore cordis.
- Synthemate.
- Febribus, et acutis.
- Doloribus matricis.
- Hectica.
- Peripneumonia.

*Præparatio ad Paralysim, Tremorem cordis, & Synthema.*

Recipe Auri puri et purgati à mineralibus suis, drachmas duas, aquæ Salis gemmæ vncias sex, reduc in fimum cum separatione alkool vini. Deinde recipe Croci Drachmas duas, Alkool correcti Drachmas sex, Fiat mixtura. Dosis à granis tribus vel quatuor, vsq; ad sex.

*Præparatio in febribus & acutis.*

Recipe foliorum auri liquefactorum ex aqua mellis, drachmas duas. Alkool vini vncias duas, reduc in separationem à melle. Dosis à scrupulo semi, vsq; ad scrupulum vnum.

*Præparatio ad dolorem matricis, Hecticam, & Peripneumoniam.*

Recipe auri extincti in aqua Chelidoniæ drachmas tredecim, Myrabolanorum indorum, Chebulorũ, ana, drachmam vnam, reduc ad digestionem p hebdomadam cum separatione aquæ aquositatis superfluæ. Dosis à scrupulo semi, vsq; ad scrupulũ vnũ.

## ADDITIONES.

*Additio in Paralysi, tremore cordis, & Synthemate.*

Recipe huius præparati auri scrupulum vnũ, aquæ Lauendulæ cum alkool vini correcti, atq; spiculæ, ana vnciam vnam, Dosis ad scrupulum vnum.

Additio

*Additio in doloribus matricis, Hecti-ca, & Peripneumonia.*

Recipe Olei nucis Moschatæ vnciam vnam, Olei Gariophilorum drachmam vnam, huius auri præparati, scrupulum vnum. Dosis à scrupulo semi vsq; ad integrum.

*Descriptio aquæ Salis gemmæ.*

Recipe Salis gemmæ libram semi, Aquæ pluuialis libram vnam, distilla per retortam vsq; in consummationem totius salis substantiæ.

*Purgatio Auri.*

Recipe Auri vnciam semi, Antimonij vncias duas aut tres: funde Regulum. Sic Antimonium aufert omnẽ impuritatẽ, et relinquit aurũ purũ in fundo.

# DE ARGENTO.

Virtutes in doloribus { Cerebri. Splenis. Hepatis, et in retentiõe pro(fluuij.

*Præparatio in doloribus Cerebri, Splenis, & Hepatis.*

Recipe Argenti laminati drachmas tres, Salis gemmæ drachmas sex: Fiat stratum super stratum, reduc adquartum gradum reuerberationis per horas viginti quatuor, et extrahe alkali. Hoc alkali in vinum ardens impositum, relinquatur in maceratiõe per dies quatuor, et erit totum argentum instar vi-

 ni arden-

ni ardentis, postea permittatur euaporari, et manebit rursum alkali in fundo, quod imponatur in vitrum, et resoluatur. Dosis eius est, à granis quinque vel sex, vsque ad duodecim.

*Præparatio in profluuio.*

Recipe argēti laminati vnciam vnam, reduc in calcem, per aquam Regis, Deinde recipe huius calcis drachmas duas, Tartari crudi drachmas quatuor, reduc ad quartum gradum reuerberatiōis, cum extractione alkali.

*Descriptio aquæ Regis.*

Recipe Nitri, Aluminis, Vitrioli, ana libram semi, distilla in aquam dulcem.

*Modus extractionis alkali.*

Recipe huius argenti quantum satis, Alkool vini, aquæ Chelidoniæ ana vncias decē, reduc vt supra. Dosis à scrupulo vno vsque ad scrupulum vnum cū dimidio.

Quum profluuium mutatur in rubeum colorem est signum, quòd profluuium cito sistetur: tunc exhibeatur drachma vna huius aquæ.

*Præparatio Argenti ad omnia ista Cerebrū, Epar, Splenem, Profluuiū.*

Recipe Argenti laminati vnciam vnam, Sulphuris purgati vncias quatuor, resinæ Pineæ vncias duas, reduc ad bolum, accende, et reduc ad præparationem, cum

nem, cum aqua fontis. Dosis scrupulum vnum, vsq; ad scrupulum vnum et semi. Argentum hoc modo præparatum valet quidem ad omnia supradicta, sed tamen illud aliud est melius.



## DE STANNO.

Virtutes Stanni sunt in { Icteritia. Asclite et Vermibus.

*Præparatio in Icteritia.*

Recipe Stanni calcinati libram vnam, Salis vncias quinq;, cinerum Fabarum libram semi, reduc in Lithargyrum per ignem reuerberationis.

Huius Lithargyri recipe vncias decem, Alkool vini libram semi, post resolutionem reduc in alkali. Dosis à granis sex vsq; decem vel vndecim.

*Præparatio in Asclite.*

Recipe Stanni purgati vnciam vnam, Antimonij vncias duas, maturi Cinetti ad pondus omnium, reduc in calcem per reuerberationem, per viginti quatuor horas. Deinde recipe huius calcinatæ materiæ libram vnam, Alkool vini libram semi, reduc in alkali. Dosis à drachma vna, vsq; ad drachmam vnã cum dimidia.

*Præparatio in Vermibus.*

Recipe Stanni vncias tres, Salis communis vncias quatuor, Asphalti vnciam vnam, pulueriza cum adustio-

adustione. Dosis à drachma semi, vsq; ad drachmas tres. *ADDITIONES.*

*Additio in Icteritia.*

Recipe huius præparati Stanni scrupula quatuor, Aliptæ muscatæ scrupulum vnum, Bdellij scrupula duo. Dosis ab vna drachma vsq; ad vnam et semi.

*Additio in Asclite.*

Recipe Stanni huius præparati, drachmam semi, Sanguinis * drachmas duas. Liquoris tapsi vnciam vnam, Fiat mixtura. Dosis vncia semi.

* *Draconis omissum arbitror.*

*Additio in Vermibus.*

Recipe huius præparati Stanni vnciam vnam, Seminum Coloquintidis, Plantaginis, ana drachmas sex, Fiat puluis. Dosis ab vncia vna, vsq; ad vnciã vnam cum dimidia.

## DE CVPRO.

Virtutes eius sunt, in { Vlceribus. Vulneribus. Vermibus. Oris vlceribus.

*Præparatio in Vlceribus.*

Recipe Cupri libram vnam, Botri immaturi libras quinq;, aceti libram vnam, Salis armoniaci vnciam vnam, reduc in digestionem clauso vase per mẽsem, postea reduc in ablutionem, et Salem alkali. Hoc est viride æris in vlceribus.

Præpara-

*Præparatio in Vulneribus.*

Recipe Cupri libram vnam, Terebinthinæ distillatæ libram vnam, Salis communis drachmam vnam, Vitrioli drachmas duas, Fiat mixtura in vitrũ clausum per menses tres. Si laminæ Cupreæ hoc modo præparatæ fuerint, sunt optimus Balsamus, cui addenda est drachma vna olei floris æris, et vncia vna olei communis.

*Præparatio in Vermibus.*

Recipe cupri calcinati vnciam vnam, aquæ Hypericonis, Centaureæ, ana vncias sex, aquæ Plantaginis, vini acetosi, ana vncias quatuor, reduc in digestionem per dies septem vel octo. Reduc in alkali. Dosis eius est à scrupulo vno, ad scrupula quatuor.

*Præparatio ad oris vulnera.*

Recipe Cupri cemẽtati candidi, Aluminis vsti, Rochi, ana drachmas sex, aceti distillati libram vnam, fiat extractio alkali per diem et noctem.

## ADDITIONES.

*Additio in Vlceribus.*

Recipe huius floris æris, vngenti Agrippini, ana vnciam vnam, Lumbricorum terrestrium drachmas tres. Fiat vngentum secundum formam.

*Prima additio in Vulneribus.*

Recipe huius floris drachmas quinq;, Aquæ aluminis vncias quindecim, Fiat mixtura in modum lauamenti.

*Secunda additio in vulneribus.*

Recipe huius floris præparati vnciam vnam, Olei Anethini vncias tres, Olei vitellorum ouorum, drachmas duas. Fiat mixtura in modum olei.

*Tertia additio in vulneribus.*

Recipe huius præparati æris drachmam semi, Aloë patici drachmam vnam, Liquoris consolidæ vncias quatuor. Fiat in modum visci.

*Additio in vermibus.*

Recipe huius floris æris vnciam vnam, Zucchari Tabe zar, succi Liquiriciæ ana drachmas duas et dimidiam, Fiat puluis. Dosis à scrupulo semi vsq; ad scrupulum vnum.

*Additio in oris vlceribus.*

Huius præparati floris recipe vnciam vnam, Aquæ Chelidoniæ vncias tres, Aquæ Aluminis vnciam vnam, Fiat gargarismus, vel lauamentum oris.

## DE FERRO.

Virtutes Ferri sunt { Stipticæ. / Constrictiuæ. / Exiccatiuæ. }

*Præparatio in Stiptico.*

Recipe limaturam ferri, libræ vnius, Salis communis libram mediam, aquæ fontis quantum sufficit pro incorporatione, reduc ad spacium temporis ad mensem, deinde ad reuerberationem vsq; in formam pulueris.

Incorpo-

Incorporatio est, vt temperetur cum aqua instar pulmenti. *Præparatio in constrictiuo.*

Recipe limaturæ ferri libram mediam, Aquæ Aluminis libram vnam et semi, Aceti distillati librã mediam, reduc in digestionem per mensem, post reduc in ablutionem, deinde per reuerberationem vsq; ad formam Croci.

*Præparatio in exiccatiuo.*

Recipe limati ferri libras duas, Aquæ vitrioli librã semi, reduc in digestionem per mensem: cum reuerberatione vsq; ad formam pulueris.

Virtus stiptica est quæ exiccat fistulas, cãcrũ etc.

Cõstrictiua, est in Lieteria, Dysenteria, Diarrhæa

Exiccatiua est in Phlegmaticis.

*ADDITIONES.*

*Additio in virtute stiptica.*

Recipe huius Croci vnciam vnam, Boli adusti vncias tres, Terræ sigillatæ drachmas quinq;. Fiat puluis. Hoc puluere commodè in omnibus vlceribus, vulneribus, et incarnatiuis vtimur. Ab intra quoq;, si quis volet, drachmæ vnius põdere bibere poterit.

*Additio in virtute constrictiua.*

Recipe huius Croci drachmam vnã, Myrrhæ drachmam semi, Croci orientalis scrupulum vnum. Fiat puluis. Dosis à scrupulis duobus, vsq; ad scrupula tria, vel quatuor.

*Additio in virtute exiccatiua.*

Recipe huius Croci drachmas tres, Balaustiarum drachmam vnam, Succi de accatijs ad pondus omnium. Fiat in modum electuarij.

## DE PLVMBO.

### Virtus pro Incarnatione.

*Præparatio Incarnatiua.*

Recipe cineris Plumbi, id est, **bleyasche** libram vnam, reduc ad decoctionem cũ aceto per horas tres vel quatuor. Est prima præparatio. Sanat vulnera, incarnat, et generat bonam carnem.

Cerusa quoq; fit ex Plumbo, si cum aqua in Sole tepescens pallescat.

Ex Cerusa in Sartagine frixata, fit Minium. Ex quo omnia medicamina in vulneribus, vlceribus, et præparatiuis, sint ex Metallis, et sunt optima.

## DE MERCVRIO.

Virtutes Mercurij { Incarnatiua. / Laxatiua.

*Præparatio Incarnatiua.*

Recipe Mercurij in puluerem redacti vncias duas, Aquæ Regis vncias decem, reduc in distillationem Balnei, aliquoties per diem, et conuertitur in oleũ, quod vlcera, et vulnera incarnat. Verùm duæ sunt in eo cautelæ, quòd et sputum fluere facit, et dealbat; alias citò et benè curat.

*Præparatio Laxatiuorum.*

Recipe Mercurij coagulati ab albumine ouorum vnciam vnam, Aquæ aluminis vncias sex, reduc in distillationem per cinerem, et fit puluis. Dosis à granis tribus vel quatuor, vsq; ad quinq;, in ægritudinibus, quæ ex leprosa humiditate veniunt, sicut in pustulis, paralysi, speciebus guttæ, in hydropisi humida est vehementer purgatiuum.





43

# LIBER II.
## DE NASCENTIBVS
## *EX TERRA.*

# TRACTATVS I.
## DE TEREBINTHINA ET GVMATIBVS.

*Nomina sunt ista.*

Ex Gummis { Opoponacum, Galbanum, Serapinum, Bdellium, Thus. Styrax vterq;, Laudanum, Mastyx, Myrrha, et

Ex Resinis { Balsamum. Terebinthina. Resina.

Terebinthina est id, quod ex intima arboris medulla defluit. Resina verò, quæ extra corticem exudat.

## DE TEREBINTHINA.

Virtutes Terebinthinæ sunt in { Vermibus. Vlceratiõibus vesicæ. Vlceribus. Vulneribus.

*Præparatio in Vermibus.*

Recipe Terebinthinæ libram vnam, aquæ Centaureæ libram semi, reduc per ablutionem, cuius recipe vnciam vnam, Agarici drachmas duas, Aloepatici drachmam mediam, fiat mixtura. Dosis à drachma vna vsq; ad drachmas duas, vel tres.

*Præparatio in Vlcerationibus Vesicæ.*

Recipe Terpentinæ vncias tres, Succi Alchechengi vncias septem, reduc per * alembicum, cuius recipe vncias quatuor, Thuris vnciam semi, Galbani drachmam vnam cum dimidia. Dosis à drachma semi, vsq; ad drachmam vnam cum dimidia.

* *Ablutionem, rectius.*

*Præparatio in Vulneribus & Vlceribus.*

Recipe Terpentinæ libram vnam, Aristolochiæ rotundæ vncias quatuor, Lumbricorum terrestrium vncias sex, distilla.

Recipe Terpentinæ libras duas, olei cõmunis, quartam libræ partem, olei lauri, vnciam vnam, distilla.

## ADDITIONES.

*Additio in Vlceribus.*

Recipe huius Terpentinæ vncias duas, olei distillati non ardentis, vnciam vnam et semi, visci Lumbricorum terrestrium, vncias quinq;. Fiat in modum vngenti.

*Additio in Vulneribus.*

Recipe huius Terpentinæ vncias duas, Consolidæ maioris vnciam vnam, Aristolochiæ rotundæ recẽ-

tis,

tis, Alöepatici ana drachmas tres. Fiat in modum cataplasmatis.

*Additio in vulneribus & vlceribus.*

Recipe Terpentinæ distillatæ libram vnam, Croci Veneris, Croci Martis, ana vnciam vnam, reduc ad digestionem per septimanam. Vsus eius est, vt bis in die alligetur.

## DE MASTICE.

Virtutes Masticis in { Doloribus Stomachi. / Vlceratiōibus interioribus. / Doloribus iuncturarum. }

*Præparatio in doloribus Stomachi.*

Recipe Masticis vncias tres, Alkool vini libram semi, Galangæ vnciam vnam. Distilla per alembicū, Dosis eius est Scrupulum semi.

*Præparatio in vlcerationibus interioribus.*

Recipe Masticis vnciam vnam et semi, Hermodactilorum drachmam semi, distilla simul. Dosis à granis quatuor, vsq; ad decem in bono vino.

*Præparatio in doloribus iuncturarura.*

Recipe Masticis vncias sex, Terpentinæ drachmas duas, Galbani vncias quinq;, distilla per alembicū.

## ADDITIONES.

*Additio in doloribus Stomachi.*

Recipe præparatæ Masticis vncias duas, Olei macis, Croci corporalis, Galangæ, ana drachmam vnam cum dimidia. Dosis à scrupulo semi, vsq; ad scrupulum vnum et dimidium.

*Additio in vlcerationibus interioribus.*

Recipe huius Masticis præparatæ vncias sex, Olei Lauri distillati vnciam vnam, Vini ardentis, Aceti, ana drachmam vnam, Fiat in modum vngenti.

*Additio in doloribus iuncturarum.*

Recipe huius Masticis præparatæ vnciam vnam, Olei Laterini drachmam vnam, Olei Masticis drachmam vnam et semi. Dosis à granis septem, vsq; ad duodecim.

*Additio communis in vlceribus interioribus & exterioribus.*

Recipe Masticis per se vncias decem, Terpentinæ vncias quinq;, Petrolei vnciam vnam, Distilla simul. Dosis ab intra scrupulum vnum est: Ab extra mane et sero secundum suum vsum.



Reliqua deerant. Nam apparet librum hunc pluribus Tractatibus digestum esse, sicut et primum: Verùm nos quæ habuimus, pro communi bono in publicum emisimus: vt sint introductorij vice ad Archidoxæ cognitiōem, quam publicari fideliter et diligenter primo quoq; tempore curabimus. Interim his amice Lector, fruere et vtere, ad laudem Dei, et infirmorum curationem salutiferam.

Vale.



